J. VIGNOLII DISSERTATIO 2. APOLOGETICA DE ANNO PRIMO IMPERII SEVERI ALEXANDRI…

Giovanni Vignoli

Digitized by Google

2. 3. 14

3

Digitized by Google

Ex legato Cl. Equitis Antonii
Francisci de Marmis

Digitized by Google

Digitized by Google

J. VIGNOLII
DISSERTATIO II
APOLOGETICA
DE
ANNO PRIMO
IMPERII
SEVERI ALEXANDRI
AUG.

Qua potiſſimum Programma Cycli Paſchalis S. Hippolyti *denuo exponitur & illuſtratur.*

ROMAE
Typis Francisci. Gonzagae, in Via lata.

MDCCXIV.

Approbatione, & permiſſu.

Digitized by Google

J. VIGNOLII DISSERTATIO II. APOLOGETICA DE ANNO PRIMO IMPERII SEVERI ALEXANDRI AUG.

Qua potiſſimum Programma Cycli Paſchalis S. HIPPOLYTI denuo exponitur & illuſtratur.

ROMAE
Typis FRANCISCI. GONZAGAE, in Via lata.

MDCCXIV.

Approbatione, & permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI
S.

POſtquam mihi optimi Principis CLEMENTIS XI. Pont. Max. ſingulari benignitate contigit, ut Bibliothecae Vaticanae praeficerer, miratus quandoque fueram, viros eruditos ſuis opinionibus obſequutos adeo fuiſſe, ut ad majorem exinde auctoritatem iis conciliandam, marmoream S.Hippolyti Cathedram, quae in eadem Bibliotheca ſervatur, non ſemel in re minus vera teſtem producere non dubitarint, atque adeo dum privatis non modo, ſed publicis etiam Romani Senatus monumentis eam opponunt, in quod propterea diſcrimen illius fidem adducant, non animadverterint. Quapropter haud alienum a me eſſe putavi, ſi, ut veritati, tantique monumenti, quod maximae ac praeſtantiſſimae hujus Bibliothecae non vulgare eſt ornamentum,

Digitized by Google

quoad poſſem honori ac dignitati conſulerem, ſibi cum nummis inſcriptisque aliis priſci aevi reliquiis, quibus illud adverſari contendunt, rem ac pugnam nullam eſſe oſtenderem. Quod certe in ea, quam in hanc rem anno ſuperiori diſſertationem edidi, veriſimili me conjectura conſequutum fuiſſe ſperaveram.

In ea vero, ut diſſidium, inter laudatum monumentum & nummos aliosque inſcriptos lapides immerito excitatum, clarius inde pateret, haec mihi duo potiſſimum probanda ſuſceperam: Imperium Antonini Elagabali ab alio capite duci non poſſe, quam a die decima ſexta menſis Maji anni communis Erae 218. Ejus vero mortem, ex qua Imperii Alexandri annus primus, in Cathedra S. Hippolyti notatus, omnino pendet, non menſe Martio, ſed poſt diem eamdem menſis Maji anni Chriſti 222. contigiſſe, quinto ejus Imperii anno inchoato. Utrumque mihi facile probatu fuit. Primum ſcilicet certo atque incorrupto Dionis, ſive ipſius excerptoris Xiphilini teſtimonio,

Digitized by Google

nio, qui eadem die 16. Maji Elagabalum a militibus Imperatorem ſalutatum refert: alterum fide & auctoritate veterum nummorum, in quibus quintus illius Tribuniciae Poteſtatis, ſive Imperii annus, ab ea die initio facto, ſignatur. Quia vero loca quaedam ipſius Dionis & Herodiani, vitiata ut videntur, aliis aliud ſentiendi, & a vero longius aberrandi occaſionem dederunt, ſuſcepti operis ratio tulit, ut argumentis tum ex nummis & lapidibus, tum ex iiſdem etiam ſcriptoribus petitis, novas illorum opiniones cum iis manifeſte pugnantes refellerem.

Quod Imperii Elagabali initium ſpectat, D. Virginius Valſechius V. Cl. Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, ut Herodiani codices, in quibus ſextus Imperii ejusdem Elagabali annus legitur, cum Dionis exemplaribus, quae quatuor dumtaxat annos, necdum abſolutos, ei tribuunt, conciliare quodammodo poſſet, non a morte Macrini, cui Elagabalus in Imperio proxime ſucceſſit, ſed a morte Antonini Caracallae,

quem

quem Macrinus excepit, illius Imperii exordia Herodianum cepiſſe cenſuit, egregia & erudita ſane admodum diſſertatione de hoc argumento vulgata. Pagius vero, qui cum etiam res mihi fuit, ut Dionis, nummorumque diſſenſionem componeret, illosque in concordiam vocaret, Imperium Elagabali pari quidem ratione, ſed non ita longe, ut Valſechius, a Cal. Jan. ante illius inaugurationem proxime praeteritis, repetendum eſſe exiſtimavit, quemadmodum in ſua Crit. Baron. ad A. Chr. 218. num. x. aperte ſignificat.

Quae doctiſſimorum virorum ſententiae quantum in ſe firmitatis ac veritatis habeant, ſatis ſuperque demonſtravi. Quod eo confidentius credere & affirmare me poſſe arbitror, quod viri doctrina ac dignitate clariſſimi Philippi a Turre Adrienſis Epiſcopi, qui denuo ſaxum idem verſare me perhumaniter cogit, luculentiſſimum teſtimonium accedit. Is enim in ſuo Apologetico, quem nuper adverſus Valſechium in lucem emiſit, non ea ſolum fuſius perſequitur, quae ipſe

Digitized by Google

ipſe etiam arctiori ſtilo antea notaveram, ſed Pagii ſententiam quoque ipſam, quam tum in epiſtola de Nummo Anniae Fauſtinae, tum in laudato Apologetico ſequutus eſt, iis poſtea, ut ait, perſpectis, quae nos in contrarium adduximus, uti minus firmam, nec veritati conſonam ſe tandem aliquando deſerturum, in *Addendis* ad eumdem Apologeticum pag. 195. & in opere interdum ipſo ſatis ſuperque promittit. Namque opinionem ibi aliam, quae pariter ipſius Pagii fuerat, quaeque alteram plane evertit, amplexus jam eſſe videtur. Iſta ſiquidem una ſimul conſiſtere nequeunt: modo a Cal. Jan. quae poſtrema Pagii opinio fuit: modo non amplius a Cal. Jan. ſed a XVII. Cal. Aprilis, uti antea ille ſenſerat, Antonini Elagabali Tribuniciam Poteſtatem, ejusve Imperii initium Senatum Romanum in ſuis nummis auſpicatum fuiſſe.

At vero ad Imp. Elagabali vitae exitum quod attinet, in eadem viri eruditi ſententia eſſe videntur, in qua fere ii

ſunt,

ſunt, qui ejus nummos vel non inſpexerunt, vel minus accurate pertractarunt: menſe nempe Martio anni epochae vulgaris 222. occiſum illum fuiſſe, antequam annum Imperii quartum abſolviſſet, & quintum, qui in iisdem nummis non obſcure legitur, inchoaſſet.

Hujus itidem jamdiu pervulgatae opinionis falſitatem demonſtrare neque multum mihi operis ac negocii fuit. Nam & nummis ipſis & veteris lapidis teſtimonio, qui Elagabalum Idibus Aprilis ejusdem anni ſtatuam Serapidi dedicantem exhibet, ea fit manifeſta. Quaequidem veterum nummorum, inſcriptorumque lapidum teſtimonia, utpote certa & explorata, tantae, ut mea eſt opinio, apud omnes, maxime apud viros eruditos, auctoritatis eſſe debent, ut ſi quid iis contrarium, vel quodammodo diſcors occurrat, id vitio aliquo non carere, aut ſecus accipiendum eſſe fateantur oportet. Propterea Dionis textum, qui, nummis aperte repugnantibus, annos dumtaxat quatuor, eosque non integros,

An-

Digitized by Google

Antonino Elagabalo adſignat, a librariis fortaſſe corruptum fuiſſe cenſui: atque itidem annum primum Alexandri, quem S. Hippolytus cum Idibus Aprilibus anni Chriſti 222. quo Elagabalus interiit, in ſui Cycli Paſchalis programmate copulavit, pro eodem anno Juliano, ſeu Conſulari 222. ab eo acceptum fuiſſe, proindeque ſuum hoc celebre monumentum cum re noſtra nihil prorſus commune habere poſſe affirmavi.

Haec vero duo, Dionis nempe, & S. Hippolyti teſtimonia, quum praecipua ac maxima fundamenta ſint iis, qui Elagabalum menſe Martio necatum fuiſſe opinantur, rem propterea iisdem minus gratam feciſſe me non ignoro, qui elevare & imminuere ea curaverim, quibus ſubductis, ipſorum opinionis ſtructura, quae in illis tota nititur, ſtare nequit.

Quo potiſſimum factum eſſe pro certo habeo, ut vir idem Illuſtriſſimus Adrienſis Epiſcopus, mihi iterum non ſine debitae laudis praefatione nominandus,

qui pro ingenita ſui humanitate me in ſuis habet, ac noſtra benigne reſpicit, non contentionis ſtudio, a qua ſemper alieniſſimus fuit, ſed eo tantum, quo me proſequitur, amore ac benevolentia ductus, ut aliorum invidiam effugerem, nonnulla in eodem Apologetico mihi ſolvenda magisque firmanda proponeret, quae ſi quis legerit, non ita fortaſſe probaret. Ea autem haec praecipue ſunt.

I. Antoninum Elagabalum Nicomedia Romam veniſſe menſe Julio, non circa Novembrem, ut pag. 62. meae diſſertationis exiſtimaveram: ac propterea, quum Romae is egerit, Eutropio, aliisque teſtantibus, annos duos, menſes octo, non poſt XVII. Cal. Junias, ut mea eſt opinio, ſed menſe Martio interfectum fuiſſe.

II. Congiarium in nuptiis Corneliae Paullae ab Elagabalo datum ex ſententia Vaillantii ſecundum fuiſſe, quod ego pag. 54. quintum dixeram.

III. Figuram equeſtrem in num-

mo

mo Aegyptio ejusdem Corneliae Paullae exhibitam, quam ad Elagabalum nullo pacto ſpectare adſerui pag. 31. ſtatuam ipſius Imperatoris equeſtrem referre ait.

IV. Herodianum τέταρτον *quartum* pro ἕκτον *ſextum* a notariis ſubſtitutum ſcripſiſſe, mentemque illius fuiſſe, Elagabalum annos quatuor, eosque non integros imperaſſe.

V. Quoniam in inſcriptione Panvinii Elagabalus Idibus Aprilibus anni Chriſti 222. Imperator fuiſſe dicitur, in programmate vero Canonis Paſchalis S. Hippolyti Alexander, alterutrum ex iis antiquitatis monumentis falſum & mendax eſſe oportere: quae nos utraque vera & legitima eſſe affirmavimus pag. 1. & 71. & alibi.

VI. Elagabalum ſalutatum a militibus fuiſſe Imperatorem die 16. Martii, non Maji, ut Dionis auctoritate ductus adſerui pag. 36. & alibi.

VII. Nummos propterea, qui Elagabali Tr. P. v. inſcribuntur, non

Digitized by Google

poſt diem 16. Maji anni Chr. 222. ut mea eſt ſententia, ſed menſe Martio, ut olim Pagius ſibi perſuaſerat, ac diebus aliquot antequam ille quintum Imperii annum iniret, percuſſos fuiſſe.

VIII. Pagii ſententiam de anticipato Elagabali Imperio, quam ego pag. 62. veram non eſſe affirmavi, propterea quod nulla nummorum ſcriptorumque auctoritas eam commendet, defendi adhuc poſſe non dubitat.

IX. Loca Herodiani, ex quibus Elagabali mortem ſub initium aeſtatis eveniſſe conjeceram, quum ſilentio praeterierit, ea examinandi ocium ſibi non fuiſſe indicat.

X. Programma Cycli Paſchalis S. Hippolyti mihi objectum eſſe admodum infeſtum.

XI. Nummum Elagabali apud Vaillantium, in quo quadrigae triumphales & epigraphe: P. M. TR. POT. V. COS. IV. & alterum a me productum, in quo ejus Liberalitas & literae: P. M. TR. POT. II. COS. III. aperte inter ſe diſſidere.

An-

Digitized by Google

XII. Annum Conſularem non in Chronico tantum, ſed etiam in Cyclo a S. Hippolyto adnotatum me cenſuiſſe.

XIII. S. Hippolyti aetate eum morem invaluiſſe, ut qui temporum hiſtoriam texerent, non annis Conſulum, ſed Imperatorum inſcriberent. Quare me non recte putaſſe, in ejus Chronico Conſules etiam appoſitos eſſe potuiſſe.

XIV. Se dubium ferri, num operi de Paſchate S. Hippolytus Chronicon ullum inſeruiſſet in primum Alexandri annum deſinens, ut ego cenſui.

XV. Pagium auctoritati Dionis, ut pag. 62. ego dixeram, nimium non tribuiſſe.

XVI. Dionis codices aevo Cedreni, Zonarae, & Glycae corruptos ac depravatos minime fuiſſe.

XVII. Faſtos denique Graecos me non recte explicaſſe.

Haec autem a viro, qui plurimum dignitate ac doctrina praeſtat, non minori quidem humanitate propoſita mihi fuere, ut nimirum, ſi quid amplius eſſet,

quo

quo facere iis ſatis potuiſſem, illud prodere non dubitaſſem. Et quidem quum non pauca fuerint, quae mea, ni fallor, illuſtrare, ac firmare multum poſſe videntur, ea ſtatim anno ſuperiori exeunte cum eodem per literas communicare non deſtiti. Haec ipſa poſtmodum, quantum in me fuit, aucta ac recognita, nunc publici juris faciam, eo certe animo, ut ſi quid forte in iis agnoveris, Lector optime, quod majorem rei nobis inſtitutae lucem afferre poſſit, non id mihi, ſed qui me monitis ipſe ſuis rem magis expendere ſuaſit, viro eidem Illuſtriſſimo acceptum referas: minus probatu digna tribuens mihi, qui quum meliora pro ingenii mei tenuitate proferre nequeam, qualiacumque ea ſint benigne atque humaniter accipias rogo. Vale.

IMPRIMATUR;
Si videbitur Reverendiſs.P. ſac. Palatii Apoſt. Magiſtro.
N. Archiep. Capuæ Vicesger.

DOCTORUM VIRORUM TESTIMONIA.

De mandato Reverendiſſimi Patris Gregorii Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri ſumma animi oblectatione perlegi Diſſertationem alteram Apologeticam, in qua Cl. Auctor D. Abbas Joannes Vignolius Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos, qui ob eruditas, quas publici juris fecit, lucubrationes, in ore famæ omniumque cum ſacræ, tum profanæ hiſtoriæ cultorum commendatione optimo jure verſatur, cuncta, quæ de exordio Imperii *Alexandri* perdocte jam ſcripſerat, ad novam criſim revocat, exponit, & confirmat, Inſcriptionis Canoni Paſchali *S. Hippolyti* præfixæ fidem & integritatem ſolidis conjecturis, locupletiſſimis antiquitatis monumentis, novisque productis argumentis aſſerit, & in optimo lumine collocat, ac poſtremo *Elagabalum* annum Imperii ſui quintum attigiſſe, ex nummis Romani Senatus auctoritate cuſis perſpicuè demonſtrare videtur. Quapropter cum in eadem Diſſertatione nihil planè offenderim, quod a fide & a probis moribus abhorreat, ſed ſummam potius nactus ſim erudionem, quæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ multam lucem offundere, & faſtos Imperatorum, & Conſulum haud parum illuſtrare poteſt: Raram inſuper & ſingularem modeſtiam, qua laudatus Auctor ſine livore, ſine ſupercilio, ſine prurigine aliorum carpendi ac vellicandi opera, omnibus ſibi propoſitits argumentis, abunde facit ſatis; cenſeo iſtud opus a Clariſſimo viro de hiſtoria optime merito concinnatum publica luce quamprimum donari debere. Dat. Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam die 4. Febr. anni æræ Chriſtianæ MDCCXIV.

Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson *ſac. Facult. Pariſienſ. Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus, Ord. FF. Prædicatorum.*

Injunctum mihi eſt mandato Reverendiſſimi Patris Gregorii Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, ut ſecundam Diſſertationem expenderem, quam vindicandæ ſuæ epochæ de primo Imperii anno Alexandri Severi Auguſti publicæ luci adornaverat Clariſſimus vir Joannes Vignolius, alter Bibliothecæ Vaticanæ

Digitized by Google

canæ Præfectus, & Romanarum antiquitatum ſedulus, felixque explorator. Concreditum benigniſſimè officium non ſine auſpicio jucunditatis aggreſſus, cum voluptate plurima abſolvi; & meâ quidem ſententiâ non ſolum oculatiſſimus Auctor quàm telam erat exorſus, exquiſitiori ſtudio deducit; verum enimvero honeſtis etiam literarum cultoribus exemplum præbet, quî ſibi illuſtrius inſtruant vindicias. Regulam fidei, vel morum ſarctam tectam habet, & ſervat; ſua tuetur, ſed a gerris abſtinet, Sarcasmos horret, nec minus ſubactum rerum judicium, quam verecunda ſtyli modeſtia utramque in eo paginam faciunt. Dum vocat ad incudem quæ ſcripſerat, uberiori omnia eruditione locupletat, vt ſpes videatur indubia, quod rei antiquariæ conſulti, emunctæ quamlibet naris, fauſta ſint ei precaturi. Monumenta Eccleſiaſtica illuſtrat, prophanam ditat hiſtoriam, difficiles demum Chronologiæ veteris ſalebras proſpere & explanat, & præterit. Putarem itaque abſque ullo diſcrimine eam e prælo poſſe vulgari, & ita cenſeo. Romæ in Conventu Sancti Marcelli Nonis Aprilibus 1714.

Fr. Petrus Maria PIERI *Ord. Servor. B. Mariæ Virginis, in Collegio Henrici Regens ſtudiorum, Emi* CORSINI *Theologus, ſac.Congreg.Indicis Conſult., & ſanctæ Romanæ Univerſ. Inquiſitionis Qualificator.*

CUm legerim, mandante Reverendiſſimo Patre Gregorio Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, librum, qui inſcribitur: *Diſſertatio II. Apologetica de anno primo Imperii Severi Alexandri Aug.* Auctore V. Cl. D. Abbate JOANNE VIGNOLIO altero Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto: Et non modo nihil in eo ab orthodoxa fide, vel bonis moribus alienum, ſed multigenam eruditionem, ex auctoribus graviſſimis ac nummis præſertim veterum Imperatorum deſumptam, & nova idemtidem argumenta Canoni Paſchali S. Hippolyti, atque hinc hiſtoriæ Eccleſiaſticæ dilucidandæ opportuna deprehenderim; utiliſſimum opus ac rei literariæ profuturum publica luce dignum cenſeo. Romæ III. Non. Jul. MDCCXIV.

Jacobus Maria AYROLUS *Soc. J.*

IMPRIMATUR,

Fr.Gregorius Selleri Ord. Prædic. ſac.Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAP. I.

Elagabalus e Syria Romam veniens Nicomediae hiemavit. Non ante menſem Aprilem Nicomedia diſceſſit. Ibi Conſulatum alterum ſucepit. Vegetius, & Spartianus explicati. Diurnum ac legitimum privatorum iter. Cum militari itinere non conferendum. Alexandri Magni Babylone Suſas profectio. Mira ejus in profectionibus militaribus celeritas. Lactantius expoſitus. Juſtum militum iter. Milites non diem totum ambulant. Exercitus cur moderate procedat? Quarto quoque die quieſcit. Elagabalus circa menſem Novembrem Romam advenit. Iter Nicomedia Romam per Dyrrhachium. Teridatis regis Armeniae in urbem adventus. Quot menſibus iter ſuum peregit. Milites quandoque juſto amplius ambulant, & quieſcunt. pag. 1

CAP. II.

Nummi cum congiario Elagabali & epigraphe TR. P. II. COS. II. neque ante menſem Novembrem, ne-

neque poſt Decembrem anni Chr. 219. cuſi eſſe poſſunt. Vaillantius notatus. Cur iidem nummi referri nequeant ad congiarium ab Elagabalo in nuptiis Corneliae Paullae diſtributum? Herodianus explicatus. Aquiliae Severae nummi ab Aegyptiis cuſi. Cornelia Paulla quando ab Elagabalo in uxorem ducta & repudiata. pag. 20

CAP. III.

Epigrape ADVENTUS AVG. *quae in nummis Latinis occurrit, in Aegyptiis & Graecis omnino inſolens. Genii apud Gentiles nudi ut plurimum & coronati. Nulla in nummis Romani Imperatoris figura equeſtris nuda. Statuae apud Graecos & nudae & velatae. Plinius explicatus. Poma apud Graecos inter alia praemia victoribus in ludis data. Hinc nummus Corneliae Paullae Aegyptius illuſtratus. Scipio ſine Aquila Conſulatum non deſignat. Trajani numiſmate Aegyptio non antea edito firmatur.* pag. 27

CAP. IV.

Ab Herodiano nonniſi quatuor Imperii annos potuiſſe Elagabalo tribui, & cur? Scriptor alter Herodiano aequalis, qui ſex amplius annos Ela-

gabalum imperaſſe ſcribit. Hinc ad veterum nummorum fidem uterque corrigendus. pag. 37

CAP. V.

In Programmate Cycli Paſchalis S. Hippolyti nihil eſt, quod Inſcriptioni Panvinii repugnet. Vetera monumenta in ſuſpicionem fruſtra vocantur, niſi ſuſpicio probetur. Antoninus Elagabalus Deum ſuum Elagabalum Diis omnibus & ipſi Jovi anteponi ſtuduit. Deus Elagabalus apud Syrios Sol & Juppiter. Idem apud Ægyptios Serapis. Hic a Septimio Severo praecipue cultus. Inſcriptionis aedis Serapidis fragmentum. Antoninum Caracallam eam dicaſſe, & ab Alexandro ornatam deinde fuiſſe oſtenditur. Idem fragmentum nummis ſuppletum: hi vero ab eo illuſtrati. Statuam eidem Serapidi Elagabalus dedicat. Hujus dedicationis inſcriptio ex Panvinio & e ſchedis Vaticanis. Hinc fides illius undique probata. pag. 39

CAP. VI.

Xiphilinum menſium nomina per literas initiales indicaſſe, non veriſimile. Numeros per literas ſingulares ſcribendi uſus apud Latinos & Grae-

cos frequens. Menſes non item. Notarii ab Euſebio Ταχυγράφοι celeres Scribae *appellati. Praenomina, quorum litera prior non diverſa, a Latinis non eodem modo indicata. Elagabalum die 16. Maii Imperatorem fuiſſe ſalutatum, & 7. Junii cum Macrino pugnam iniiſſe demonſtratur. Pagius notatus. Macrinus qua die Imperio potitus. Septimii Severi dies natalis. Vetus Calendarium illuſtratum. Poſt mortem Caracallae biduo Imperium ceſſavit. Cur Pagius Xiphilini & Dionis Majum in Martium verterit? Solaris eclipſis a Dione enunciata.* pag. 52

CAP. VII.

Nummos Elagabalis cum TR. P. V. paucos dies ante quam illam iniret, ſignari non potuiſſe. Nummus cum anno, ad quem Imperator, cujus eſt nummus, non pervenit, nondum inſpectus. Severi nummi excipiuntur cuſi poſt ejus mortem. Annorum in nummis anticipatio hiſtoriam temporum turbaſſet. Novo ſtatim anno inito, nummos ſignatos. Si Elagabalus menſe Martio interfectus fuiſſet, ejus nummi cum TR. P. V. tres fere menſes ante, quam illam attingeret, percuſſi eſſent. pag. 63

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Elagabalum prima ſui quarti Conſulatus die falſum eſt, ex ſententia Lampridii non proceſſiſſe. Ejus nummi cum quadrigis & literis TR. P. V. COS. IIII. cur ad primum ejuſdem quarti Conſulatus proceſſum referri nequeant? Annorum Imperii & Conſulatuum Elagabali diagramma. Defectus nummorum illius cum epigraphe Tr. P. IIII. Cos. IIII. cauſam Pagii meliorem non facit. Aliorum Imperatorum ejuſmodi numiſmatum defectu probatur. Series annorum, quibus ſinguli Imperatores ab Auguſto ad Alexandrum uſque Tribuniciam Poteſtatem & Conſulatus ſuſceperunt & multiplicarunt. Pagius notatus. pag. 67.

CAP. IX.

Pagii & Valſecbii ſyſtemata non multum inter ſe diverſa. Elagabalus ex Cal. Juliis Conſulem cum Advento Macrini loco ſe inſcribere coepit. Dio explicatus. Vetuſtiſſimum Dionis fragmentum Vaticanum. Dio iterum explicatus. Mos Romani Senatus Imperatorum annos in nummis numerandi. In omnibus nummis Elagabali annos

nos

nos Tribuniciae Poteſtatis & Conſulatus paribus numeris concurrere, falſum. pag.89

CAP. X.

Alexander ex ſententia Eutropii, Lampridii, & Herodiani quandiu imperavit. Tabula Chronologica in hiſtoriam Herodiani. Hic in annis Elagabali & Maximini emendatus. Mos ejus in annis Imperatorum numerandis. Alexander aeſtate anni Chr. 222. in montibus Armeniae: inde in Germaniam profectus, a Maximino circa finem aeſtatis occiditur. Lampridii locus expenditur. Alexander Magnus qua die mortuus. Dies mortis Severi Alexandri ex Lampridio certo coniici non poteſt. Neque illius dies natalis. Alexander Emeſa profectus. Alexianus antea vocatus. Ab Elagabalo Romae adoptatus & Alexander dictus. Cur ita cognominatus? Severi nomen non ei a militibus inditum. Cur Antonini nomen reſpuerit? Theſauri Goltzii inſcriptio Graeca expenditur. Severus Alexander qua die natus. Quandiu vixerit. Mors Elagabali ultra Cal. Julias anni Chr. 222. non protrahenda. Anniae Fauſtinae nummus a Laodicenis percuſſus iterum explicatus. Annum quintum Imperii Elagabali firmari eodem non poſſe. pag.94

CAP.

CAP. XI.

Programma Cycli Paſchalis S. Hippolyti cur mihi mihi objectum minime infeſtum? Si annus primus Alexandri a prima Imperii die capiatur, idem Programma cum publicis monumentis aperte pugnat. Hujus diſſidii cauſſam ab Hippolyto amovendam, & in ejus Cycli exſcriptorem potius reiiciendam eſſe putavimus. Noſtra de hoc conjectandi ratio exponitur. Idem annus pro anno Juliano ab Hippolyto acceptus. Veterum aliorum ſcriptorum exemplo firmatur. Diſſidium hinc nullum, ac nulla annorum Imperii & Paſchatum confuſio. pag. 117

CAP. XII.

Rixa inter nummum Elagabali a me editum, & alium a Pagio ex Vaillantio recitatum nulla. Hunc Pagius jure ſuo interpretatur: ille omnis interpretationis eſt expers. Una atque altera Pagii opinio de initio Trib. Pot. Elagabali inter ſe pugnant. Utraque falſa. pag. 128

Digitized by Google

CAP. XIII.

In Cyclo etiam S. Hippolyti annum Conſularem adnotatum fuiſſe, nuſquam dixi. Euſebius & Sanctus Hieronymus annum primum Alexandri in Chronico Hippolyti tantum, non etiam in Cyclo agnoſcunt. Annus Imperii in Chronico deſcriptus annum Conſularem non excludit. pag. 131

CAP. XIV.

Hippolyti aetate id moris fuiſſe, ut qui temporum hiſtoriam texerent, eam non modo Imperatorum, ſed etiam Conſulum annis inſcriberent. Id potiſſimum Julii Africani exemplo demonſtratur. Pearſonius explicatus & notatus. Veteres ſcriptores Chriſtiani cujuſvis aevi annis Romanorum Imperatorum, & Conſulum promiſcue uſi. Qui librum Generationis, *ſeu de* Diviſionibus Gentium *inſcriptum, S.Hippolyto tribuit, Euſebii & S. Hieronymi teſtimonium elevat. In eodem libro locus Conſulibus nullus eſſe potuit. Anni per Conſules notati quantum hiſtoriae Eccleſiaſticae lucis afferant.* pag. 135

CAP.

CAP. XV.

S. Hippolyti Chronicon ad annum primum Alexandri perductum ejus operi de Paſchate *inſertum.* Series temporum *idem ac Chronologia. Paſchalia tempora tantum per* univerſa tempora *intelligi non poſſe.* pag. 142

CAP. XVI.

Nimium Dioni tribuiſſe Pagium, ejuſque auctoritatem dignitati numiſmatum praetuliſſe probatur. Ut Herodianum, ita etiam Dionem in annis Imperii Elagabali corrumpi a librariis potuiſſe. Dionis codices aevo etiam Cedreni, Zonarae & Glycae pluribus in locis corrupti. Exemplis ab eiſdem petitis demonſtratur. Mendum manifeſtum non ideo quod in omnibus alicujus ſcriptoris exemplaribus occurrat, excuſatur. Dio in excerptis Imperatoris Conſtantini Porphyrogennetae annos Imperii Elagabali non numerat. Locus iſte in vetuſtiſſimo Dionis fragmento Vaticano ab initio mendis non caruit. Quaedam ab alia manu in eo emendata. pag. 145

Digitized by Google

CAP. XVII.

Faſti Graeci iterum explicantur. Pagii ſententia de anticipato Elagabali Imperio Julii etiam Africani auctoritate omnino exploditur. Hinc utraque falſa & commentitia detecta, noſtra, quae certis tantum ac publicis monumentis nititur, undique firmata. pag. 156

Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. viro

PHILIPPO A TURRE

EPISCOPO ADRIENSI

J. VIGNOLIUS S. P. D.

HIs proximis diebus humaniſſimas literas tuas accepi, vir Illuſtriſſime, v. Id. Decembr. ad me datas, cumque iis elegantiſſimae Diſſertationis tuae Apologeticae exemplar: quo eximio quidem munere nihil mihi umquam gratius acceptiusque accidere poterat. Eo namque avide ſtudioſeque perlecto, non potui, quin uberem illam ac reconditam eruditionem doctrinamque tuam agnoſcerem & admirarer, atque eam exin-

de, quam egregia doctorum virorum opera afferre nobis ſolent, non mediocrem animi voluptatem perciperem. Multa certe ibi, quae in altiſſima temporum caligine ſepulta diu fuere, docte a te ingenioſeque exponuntur, & in optima veritatis luce collocantur: laetanturque bonarum literarum ſtudioſi viri omnes, te in altiori Eccleſiae gradu poſitum, & gravioribus paſtoralis tui muneris curis aſſidue diſtrictum, quae momenta reliqua tibi ſunt, tanta cum laude tranſigere, in iisque ſtudiis impendere, quae optima & honeſtiſſima, atque adeo Chriſtianae Reipublicae tam neceſſaria virum Eccleſiaſticum & praeſtantiſſimum quemque ita plane decent, ejusque tam propria ſunt, ut eum inſuper exornare ample ac magnifice poſſint. De quo, ut Onuphrium Panvinium aliosque pietate itidem ac doctrina inſignes viros

Digitized by Google

ros praeteream, Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, Angelus Colotius Epiſcopus Nucerinus, Joſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis, & ex veſtratibus Jacobus Philippus Thomaſinus Epiſcopus Aemonienſis: prae ceteris vero Caeſar Baronius, & Henricus Noriſius, Cardinales ipſi & S. R. E. Bibliothecarii, viri ſummi, qui non tam munerum ſuorum dignitate, quam gravi hoc ac non vulgari ſtudiorum genere, magnam quidem ac numquam interituram nominis gloriam late ſibi ad poſteros conciliarunt. Hoc ſiquidem hiſtoria doctrinaque cum ſacra, tum civilis quammaxime illuſtratur, & graviſſime adſeritur, veteres gentium & Chriſtianorum ritus explorantur, res geſtas veras a falſis dignoſcimus, & varias temporum origines perſcrutamur: quae ſi minus perſpecta explora-

ta-

taque nobis ſint, neceſſe eſt, ut quae inde ab iiſdem pendent, res ſcitu ſane digniſſimas, & quae ſine magno tum ſacrae, tum profanae hiſtoriae detrimento ignorari non poſſunt, non recte definire valeamus. Quantum me tibi propterea debere exiſtimem, vir Illuſtriſſime, quod mea, quae dubia ac non ita certa viſa tibi fuere, ad examen vocare, & a me magis explicari confirmarique voluiſti, non facile verbis conſequi poſſum. Mecum ſane multum hoc nomine tibi debebunt etiam ii, qui recte ſapiunt, & qui nobiſcum veritatem in rebus inquirunt. Saepe enim evenit, ut quae nobis jam per ſe nota & certa videntur, ea teſtimoniis aliorum fulcienda magis non eſſe arbitremur: quae niſi quandoque in dubio ponantur, ſuos numquam auctores adſertoreſque prolatura eſſent, & eam, quam omnino merentur,

Digitized by Google

tur, fidem factura. Haec eadem igitur iterum declarare, veterumque monumentorum auctoritate magis magiſque firmare in animo ſtatui, atque illos quantum in me eſt nodos ſolvere, in quos noſtra perlegens offendiſti, aliosque viciſſim nonnullos tibi proponere, qui me pariter tua percurrentem in curſu detinuere. Neque enim quidpiam, quod honeſtum, quod rectum, quod laudabile ac decorum non ſit, & quod plurimum rei nobis propoſitae non conferat, feciſſe te, meque modo facturum exiſtimo, ſi, ut hiſce tenebris, in quibus verſamur, majoris inde luminis aliquid affulgeat, noſtra nos invicem in quaeſtionem (quae cognitionis appetitio eſt, ut Tullius ait) adducimus: illius probe memores, quod apud Poetam legitur:

Diverſum ſentire duos de rebus eisdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Ante-

Antequàm vero haec publici juris faciam, informia licet, & maculis undique adſperſa, ea ſtatim ad te mittere, tuoque judicio ſubiicere conſilium fuit, ut ſi quid mihi ſcribendo fortaſſe exciderit, quod obſervantiae in te meae, & quod honori ac reverentiae, qua te, tuamque doctrinam ac dignitatem proſequutus ſemper fui, minus conſentaneum videri potuit, de eo me opportune monitum facias. Dum novus interea annus inſtat, illum tibi fauſtum felicemque ex animo precor, qualis mihi plane contigerit, ſi eadem animi aequitate, qua ego oppugnationem tuam, ipſe reſponſionem hanc meam acceperis, atque, ut pro ſingulari tua humanitate facere coepiſti, perrexeris me amare. Vale.

Romae III. Cal. Januar. 1713.

Digitized by Google

J. VIGNOLII DE ANNO PRIMO IMPERII SEVERI ALEXANDRI AUG.

DISSERTATIO II. *Apologetica.*

CAP. I.

Elagabalus e Syria Romam veniens Nicomediae hiemavit. Non ante menſem Aprilem Nicomedia diſceſſit. Ibi Conſulatum alterum ſuſcepit. Vegetius, & Spartianus explicati. Diurnum ac legitimum privatorum iter. Cum militari itinere non conferendum. Alexandri Magni

Babylone Suſas profectio. Mira ejus in profectionibus militaribus celeritas. Lactantius expoſitus. Juſtum militum iter. Milites non diem totum ambulant. Exercitus cur moderate procedat. Quarto quoque die quieſcit. Elagabalus circa menſem Novembrem Romam advenit. Iter Nicomedia Romam per Dyrrhachium. Teridatis regis Armeniae ad urbem adventus. Quot menſibus iter ſuum peregerit. Milites quandoque juſto amplius ambulant, & quieſcunt.

Pag. 7. *Stat igitur*, ait vir Illuſtriſſimus, *adventum Elagabali in urbem conferendum eſſe in menſem Julium*.

ERGO vero circa Novembrem potius anni V. C. DCCCCLXXII. epochae Chriſtianae 219. Elagabalum ad urbem veniſſe putaveram. Idque ex iis, quae de illius mortis tempore adduxeram, facili negotio arguere poſſe videbar. Nam ſi poſt diem 16. menſis Maji interfectus ille fuit, nec menſes amplius octo, poſt nimirum annos duos integros Romae tranſegit, ut Eutropius eſt auctor lib. 8. cap. 13. in tem-

Digitized by Google

tempus non aliud ejus in urbem adventus conferri a me poterat. In eo autem me falſum minime fuiſſe, hoc etiam argumento demonſtrare conabor.

Elagabalus, qui die 16. Maji anni ſuperioris 218. ab exercitu Phoeniciae Imperator fuerat ſalutatus, ac die 7. Junii Macrinum in acie vicerat, & in fugam conjectum e vivis inde ſubmoverat, e Syria Romam proficiſcens, quod certiſſimum eſt, Nicomediae hiemavit. Id praeter Herodianum, & Lampridium, Dio etiam indicat lib. 79. pag. 910. edit. Hanoviae, qua utimur. Refert ibi, Elagabalum Nicomediae triumphali habitu uti Conſulem Votivorum ludorum die proceſſiſſe: quae dies fuerat III. Non. Januarias anni Chr. 219. quo Conſulatum alterum inierat. Et pag. 909. diſerte id exprimit: *Itemque*, ait, *alius homo plebejus claſſem, quae ad Cyzicum erat in ſtatione, aggreſſus eſt illo ipſo tempore, quo Pſeudantoninus* (ἐν τῇ Νικομηδείᾳ ἐχείμαζε) *Nicomediae in hibernis agebat*.

Ut has vero, turbasque alias, quae

 tunc

tunc temporis excitatae in Bithynia fuere, omnino ſedaret, neque ſtatim poſt hiberna, neque proinde ante initium Aprilis diſceſſiſſe illinc, veriſimile eſt adeo, ut ſi quis putare velit, per dies inde aliquot ejusdem menſis in ea civitate ſubſtitiſſe, quum omnino lateat, quantum ille temporis in iis turbis ſedandis inſumpſerit, non equidem refragabor.

Exceſſiſſe itaque Elagabalum Nicomedia non ante Aprilis initium ejusdem anni 219. cum Illuſtriſſimo viro plane ſentiam. Iter vero potius per Illyricum ſuſcepiſſe, quam per Thraciam & Macedoniam, neque affirmare, neque negare auſim, quum & iſtud, quod ſciam, nemo memoriae prodiderit, eique iter utrumque patuerit.

Eſt tamen aliquid, quod mihi perſuaderi haud facile poterit: Imperatorem hunc ſcilicet cum duabus Auguſtis matre & avia, & maxime cum exercitu, a quo ſtipatum omnino eſſe oportuit, iter illud per Illyricum, quod, ut ex Itinerario Antonini vir Illuſtriſſimus exacte colligit,

mil-

Digitized by Google

milliaria amplius MD. continet, tam celeri gradu facere potuiſſe, ut Julii menſis initio Romam pervenerit.

Ad haec vero: *Iter militare*, inquit, *in ſingulos dies erat viginti milliarium, aut ſi celeriter eſſet abeundum, quinque & viginti.* Hoc idem antea viros etiam alios eruditos ſenſiſſe, haud equidem ignoro. At quam recte ita ſenſerint, ex his, quae nunc proferam, aliorum eſto judicium.

Vegetius, cujus potiſſimum auctoritatem ſequutos eos eſſe arbitror, lib. I. cap. 9. milliaria fere totidem in diem tironibus facienda praecipit: *Primis ergo*, ait, *meditationum auſpiciis* TIRONES *militarem edocendi ſunt gradum. Nihil enim magis in itinere, vel in acie cuſtodiendum eſt, quam ut milites incedendi ordinem ſervent. Quod aliter non poteſt fieri, niſi aſſiduo exercitio ambulare celeriter & aequaliter diſcant.* Mox vero: *Militari ergo gradu* XX. *millia paſſuum horis quinque dumtaxat aeſtivis conficienda ſunt. Pleno autem gradu, qui citatior eſt, totidem horis* XXIV. *millia peragenda ſunt. Quicquid addideris, jam curſus eſt, cujus ſpatium*

tium non poteſt definiri. Haec Vegetius. Sed quod a tironibus non armatis exercitii cauſſa tantum fieri ſolet, id milites quoque armis inſtructos, neque unius, vel alterius diei, ſed plurium menſium iter facturos, exequi potuiſſe, mihi difficile non modo videtur, verum etiam nec fieri poſſe exiſtimo.

Quibus praeterea exemplis hunc Vegetii locum viri eruditiſſimi exornare potius, quam illuſtrare nituntur, neque me ſane fugit. Quae tamen ut juſtum militum iter definire poſſint, mihi non ſatis idonea cenſentur. Ea autem haec potiſſimum ſunt.

I. Hadrianum paſſuum millia viginti pedibus facere ſolitum fuiſſe Spartianus memorat in ejus vita cap. 10. *Exemplo etiam*, inquit, *virtutis ſuae ceteros adhortatus, quum etiam vicena millia pedibus armatus ambularet*. Quod quidem fieri quandoque poſſe, praeſertim quum ad locum aliquem miles progreditur, ubi per dies plures eum quieſcere oporteat, nemo certe negabit. At ſi iter illud non

juſto

juſto majus fuiſſet, mea quidem ſententia, non opus erat, ut Hadrianus exemplo ſuo ad illud peragendum milites hortaretur.

II. In corpore juris, hoc eſt in digeſt. lib. 27. tit. 1. de Excuſation. §. 13. definitum quoque fuit, ut viginti millia paſſuum pro legitimo unius diei itinere haberentur: *Qui vero ultra centum millia ab urbe abeſt, vicenis millibus in ſingulos dies enumeratis, ex quo ſe creatum cognoverit (namque oportet certiorem a magiſtratibus fieri aut coram, aut domi ſuae) alios deinde triginta dies ad allegandam excuſationem habet.* Spatium hoc ſcilicet dabatur iis, qui tutores, vel curatores inſtituti ab urbe aberant, ad ſe excuſandos. At quod legitimum privatorum hominum iter ſtatutum fuerat, hoc idem & militum fuiſſe, quorum conditio non eadem, nec vitae ratio, haud facile inducor, ut credam.

III. Ad haec vero Alexandri Magni etiam exemplum accedit, qui ut Arrianus teſtatur lib. 3. de illius Expedit. dierum viginti ſpatio Babylone Suſas pervenit. Suſae autem quum milliariis cir-

circiter quadringentis a Babylone abſint, haec per viginti diviſa, vicena ſingulis diebus contingent.

Verum longe diuturnum exercitus Elagabali iter, qui non ad hoſtilem urbem aliquam occupandam Romanum Imperatorem ſequebatur, cum bellicis Alexandri Magni profectionibus non recte, ut mea fert opinio, poterit conferri. Si quis enim Arrianum ipſum, vel Diodori Siculi librum 17. evolverit, plura etiam inſigniora illius Regis celeritatis exempla obvia habebit. De ea Curtius lib. 5. cap. 5. *Nullam*, inquit, *virtutem iſtius magis, quam* CELERITATEM *laudaverim*, & cap. 8. *Sed veritus Darius, ne* CELERITATE *Alexandri occuparetur, conſilium iterque mutavit. Aberat ab eo Alexander ſtadia* MD. *ſed jam nullum intervallum adverſus* CELERITATEM *ejus ſatis longum videbatur*. Et quidem nec minorem fortaſſe, qua Suſas pervenit, ejus celeritatem fuiſſe oportet, ſi profectionis illius cauſſam, ingentesque ejus regiae ditiſſimaeque urbis opes, a quibus invitabatur, ſpectare

ctare velimus. *Ipſe inde Suſas movit*, ait Arrianus: *in itinere obvium habuit filium ſatrapae Suſiorum, & tabellarium cum literis a Philoxeno, quem Alexander ſtatim a praelio Suſas miſerat. Epiſtolae ſententia haec erat: Suſios urbem tradidiſſe, omnemque pecuniam Alexandro ſalvam eſſe. E Babylone Suſas viceſimo die pervenit, urbemque ingreſſus pecuniam omnem quinquaginta millia talentum argenti, reliquumque apparatum regium accepit. Multa praeterea alia ibi reperta ſunt, quae Xerxes e Graecia attulerat.* Et Diodorus Siculus Biblioth. Hiſtor. lib. 17. *Alexander itaque oppido & theſauris in regia potitus, auri & argenti forma non ſignati plus* XL. M. *talentum invenit. Has opes longa aetate intactas conſervarant reges, ut ad inopinatos fortunae caſus quo refugerent, in promptu foret. Praeter haec etiam* IX. M. *talentum, Darico ſigno notata aderant.*

IV. Maximini denique adverſus Licinium profectionem, de qua Lactantius cap. 45. de Mort. Perſec. non juſtum militum iter, ſed curſum potius fuiſſe, res ipſa in celeritate tum poſita indicio

eſſe videtur. Quocirca neque ex milliariis illis decem & octo, quibus idem Maximinus Perintho ad primam manſionem proceſſit, juſtam diurni militum itineris menſuram a viro Illuſtriſſimo colligi poſſe putarem. Etenim in ſubitis ejusmodi expeditionibus repente ſuſceptis, ac ſine impedimentis rebusque uſui ac victui neceſſariis, pro quibus militares manſiones antea diſponendi ſpatium non fuerat, ut inde eſſet, unde cibaria militibus, jumentisque pabulum comparari commode poſſet, ad publicas locorum manſiones tum progredi, opus fuiſſe reor: quae tamen, quum non omnes ubique eaedem, ut ex Itinerario Hieroſolymitano patet, nec pro juſto privatorum itinere ſunt accipiendae.

Ceterum ejusmodi Maximini iter curſum omnino fuiſſe, ipſa etiam Lactantii verba ſignificant: *Maximinus*, inquit, *ubi eos intellexit nuptiarum ſolemnibus occupatos, exercitum movit e Syria, hieme tum quammaxime ſaeviente* (ita nos legimus) *& manſionibus geminatis in Bithyniam*

CON-

CONCURRIT, *agmine debilitato*. Atque inde iter ſuum eadem celeritate ea die iterum ſuſcepiſſe, qua ab Heraclea ad primam manſionem devenit, non obſcuris quoque verbis Lactantius explicat: *Accepta*, ait, *in deditionem Perintho*, *aliquanto moratus*, *proceſſit ad manſionem millia decem & octo*. *Nec enim poterat ulterius*, *Licinio jam ſecundam manſionem tenente diſtantem millibus totidem*. Ex his enim ſequitur, Maximinum, qui millia paſſuum ſex ac triginta cucurrerat antea, totidem deinde progreſſurum fuiſſe, niſi Licinius ſecundam manſionem occupaſſet: ad quam procedere, uti cogitaverat, difficile poterat, ſi ad primam militari, non feſtinato itinere perveniſſet.

Praeterea iter militare milliarium in diem viginti juſtum dici nunquam poſſe Suetonius in Galba cap. 6. demonſtrat: *Ipſe*, ait, *maxime inſignis*, *quod campeſtrem* DECURSIONEM *ſcuto moderatus etiam ad eſſedum Imperatoris per viginti paſſuum millia* CUCURRIT. Quae quidem verba feſtinatum non modo iter, ſed curſum

illud dicendum diſerte apparet.

Sed ne diutius his immoremur, quot millibus paſſuum juſtum ac diurnum iter militum circumſcriptum antiquitus etiam fuerit, ex J. Caeſare non obſcure quidem colligitur. Is enim tametſi quoties opus fuit, non viginti tantum, vel quinque & viginti, ſed vel amplius quinquagintamillia paſſuum horis minus quatuor & viginti conficere ſolitus fuiſſet; libro tamen tertio de Bello Civ. millia paſſuum dumtaxat octo fuiſſe ita nos docet: *Confecto*, ait, *juſto itinere ejus diei, quod propoſuerat Caeſar, transductoque exercitu flumen Genuſum, veteribus ſuis in caſtris contra Aſparagium conſedit, militesque omnes intra vallum continuit: equitatumque per cauſſam pabulandi emiſſum confeſtim decumana porta in caſtra ſe recipere juſſit.* Paucis vero interjectis, *Meridiano fere tempore*, ſubdit, *ſigno profectionis dato, exercitum educit*, DUPLICATOQUE *ejus diei itinere*, VIII. *millibus paſſuum ex eo loco procedit*. Quod etiam a Fulvio Urſino viro doctiſſimo praenotatum obſervo in ſuis adver-

verſariis, quae duobus voluminibus comprehenſa, manu ipſius ſcripta in bibliotheca Vaticana ſervantur. In uno enim ex iis, quod numero 3395. ſignatur, pag. 456. ita legitur: ***Diurnum iter militum millia*** VIII.

Et quidem ſi poſtquam Caeſar iter mane confecerat, quod *juſtum* appellat, circa meridiem exercitum iterum movit, & millibus paſſuum octo progreſſus, ejus diei iter ſe duplicaſſe ait, neceſſario ſequitur, quod ante meridiem juſtum iter fecerat, millia itidem VIII. non XX. fuiſſe.

Praeterea lib 6. de Bello Gall. aperte non minus hoc indicat. Ibi refert, Treviros, qui Labienum Praefectum ſuum aggredi parati erant, ubi duas a Caeſare legiones in illius auxilium venire cognoverunt, ſubſtitiſſe, poſuiſſeque caſtra longe ab eo paſſuum millibus quindecim, quos antea unius atque alterius diei itinere ab eo non longius abeſſe dixerat. Ut res magis meliusque pateat, ipſius Caeſaris verba proferam: ***Dum haec***, inquit, ***a Caeſare geruntur***, ***Tre-***

Treviri, magnis coactis peditatus equitatusque copiis, Labienum cum una legione, quae in eorum finibus hiemaverat, adoriri parabant. Jamque ab eo non longius bidui via aberant, quum duas veniſſe legiones miſſu Caeſaris cognoſcunt. Poſitis caſtris a millibus paſſuum XV. *auxilia Germanorum exſpectare conſtituunt.*

Neque vero ita remiſſa militaris itineris ratio haec nobis videri debet, ſi putare nobiſcum velimus, milites, quoties res aliter non poſtulare videatur, neque totos dies iter facere: ſed ut ex iis, quae ex J. Caeſare attulimus ſupra, manifeſte apparet, aliquam tantum diei partem itineri, partem vero quieti, partem munitionibus caſtrorum, partem denique aliam lignando pabulandoque dare ſolitos eſſe.

Hoc autem, utpote quod a natura, quae ſemper eſt eadem, ſua potiſſimum praecepta haurit, haud mutatum poſtea fuiſſe crediderim, praeſertim quum vel hodie id ipſum ſervari & in uſu eſſe ſciamus. Quare S. Ambroſius in pſalm. 118.

Digitized by Google

octon. 5. moderati hujusmodi militum itineris cauſſam explicans: *Moderate enim*, inquit, *ambulat* (exercitus) *quia imperator non quod ſibi utile, ſed quod omnibus poſſibile conſiderat*.

Eſto vero exercitus, qui Elagabalum ad urbem deduxit, aliquam ſui itineris partem celeri gradu curſuque alacriori peregerit, ac ſubinde non octo, ſed paſſuum millia decem ſingulis ſuae profectionis diebus ambulaverit, quot nimirum ter in menſem militibus armatis in ſuis ſedibus degentibus ex veteri conſuetudine, & Auguſti & Hadriani conſtitutionibus fieri ſolita fuiſſe tradit Vegetius lib. 1. cap. 27. inde fit, ut milliaria illa 1500. quae a Nicomedia ad urbem numerantur, per decem in ſingulos dies diviſa, dies centum exigant & quinquaginta, qui menſes quinque plenos conficiunt. Quare ſi quotidie, nullaque mora interpoſita exercitus ille iter ſuum proſequi potuiſſet, non menſe Julio, ſed neque ante initium Septembris novum Imperatorem Romam perduxiſſet.

Huic

Digitized by Google

Huic vero quinque menſium itineri dies alios quinquaginta quietis nemo puto contenderit. S. Ambroſius loco eodem mihi ſupra laudato totidem quidem & plures ei non denegat: *Triduo*, ſubdit, *ambulat exercitus, quarto requieſcit die. Eliguntur civitates, in quibus triduum, quatriduum, & plures interponantur dies*: Septembris igitur initio hos quinquaginta dies alios ſi adiiciamus, dies viceſima Octobris obveniet. Dies reliquos, quos amplius D. Ambroſius exercitui in itinere quieſcenti concedendos eſſe ſcribit, viro Illuſtriſſimo omnino adſentiar, novum Principem in iis urbibus impendiſſe, quae illum, ut ait, ſolemniori pompa exceperint. Eos vero decem fuiſſe, hoc ipſum eſſet divinare.

Itaque ſi Elagabalus iter ſuum per Illyricum ſuſcepit, ejus in urbem adventus non in menſem Julium, ſed potius circa menſem Novembrem, uti cenſui, conferri oportet. Atque adeo hoc fere ipſum ſi per Thraciam & Macedoniam venerit, & Dyrrhachio Brunduſium navi-

gave-

Digitized by Google

gaverit, dicendum eſſe exiſtimo. Millia enim paſſuum amplius 750. erant ſibi primum, Boſphoro Thracio transjecto, terreſtri itinere Dyrrhachium uſque facienda: inde vero 630. quot Brunduſio Romam enumerabantur. Quae per decem in ſingulos dies partita, & milliariis itidem 65. quae ſunt Nicomedia ad Boſphorum, enumeratis, dies 145. profectionis, quietis vero octo & quadraginta efflagitaſſe videntur: menſes nimirum ſex integros ac dies tredecim, quot ab ineunte Aprili, quo Elagabalus Nicomedia diſceſſerat, ad medium uſque Octobrem interfluxerunt.

Haec praeterea ut ſatis firma & certa ſint, tametſi ſolius J. Caeſaris auctoritas ſatis eſſe videatur, exemplo tamen aliquo ex Dione petito, quo magis idoneum occurrere vix poterit aliud, magis magisque firmantur. Dio ſiquidem in vita Neronis lib. 63. pag. 716. Teridatis Regis Armeniorum Romam adventum deſcribens, novem menſium iter illius ab Euphrate fuiſſe narrat: *Et Teridates*, in-

quit, *habens ſecum non ſolum ſuos, ſed etiam Vologaeſi, Pacori, & Monobazi liberos, Romam deductus eſt: fuitque eorum iter, ut in triumphis per omnes regiones ab Euphrate.* Mox vero: *Conſequebantur eum tria millia equitum Parthorum, cum frequentibus Romanis, eumque urbes magnifice ornatae ac populi magnis laetisque clamoribus excipiebant: quaeque neceſſaria erant, omnia gratis ei praeſtabantur. In quam rem populus Romanus ſumptum faciebat ſingulis diebus octingenta ſextertia; idque* NOVEM MENSIBUS, *quibus iter fecit, factum eſt.* Euphrates a Melitene ſumptus, milliariis circiter 670. a Nicomedia decurrit, unde Elagabalus initio Aprilis exceſſerat: ipſe ſcilicet Euphrates a Caeſarea 218. haec ab Ancyra Galatiae per Nyſſam 198. Ancyra vero a Nicomedia 258. His inde ſi millia paſſuum 1500. addamus, quae a Nicomedia ad urbem ſunt reliqua, ſumma emerget milliarium 2174. Haec vero per decem itidem in ſingulos dies diſtributa, menſes ſeptem ac dies totidem expoſtulant, qui cum menſibus fere duobus

quie-

quietis, quae quarto quoque die exercitui dari ſolet, ſumma erit menſium IX. dierumque aliquot a Dione fere expreſſa, hoc eſt, pene trium ab Euphrate Nicomediam, ſex vero ac dierum aliquot a Nicomedia ad urbem, quot nos itineri Elagabali tribuimus.

Quae quidem milliaria ſi per viginti, vel ſaltem per decem & octo in ſingulos dies dividenda eſſent, ac Teridates ſolemniori apparatu, quam Elagabalus ab urbibus ſibi ſubjectis, exceptus fuiſſet, ita ut dies alios non decem tantum, quot Elagabalus, ſed praeter juſtum ac neceſſarium quietis ſpatium vel integrum menſem in iis urbibus conſumpſerit, jam non novem, ſed minus etiam ſex, vel ſeptem menſibus iter illud abſolutum ab eo fuiſſet. Viam vero eamdem illum tenuiſſe, qua Elagabalus Romam advenit, hoc eſt, per Illyricum, ut vir Illuſtriſſimus ſentit, Dio ibidem teſtatur pag. 718. *Reverſus eſt*, ait, *non per Illyricum, & trans Jonium, qua via venerat, ſed Brunduſio Dyrrhachium navigavit*.

Digitized by Google

Quod praeterea, ut hoc addam, militari Elagabali, ac Teridatis itineri, Caeſaris potiſſimum auctoritate ductus, octo, vel decem non amplius milliaria in ſingulos dies tribuerim, non ideo in ea ſum opinione, ut plura interdum ab iis confici non potuerint. Tum vero in hac pariter ſententia ſum, ut inde non una die tantum, ſed pluribus diebus in iis urbibus, ad quas antea celeri gradu properaverant, omnino quieverint. Mihi namque ita ſentienti S. Ambroſius, uti ſupra vidimus, ſatis adſtipulatur, ubi ait: *Eliguntur civitates, in quibus triduum, quatriduum, & plures interponantur dies*. Ac de his hactenus.

C A P. II.

Nummi cum congiario Elagabali & epigraphe TR. P. II. COS. II. neque ante menſem Novembrem, neque poſt Decembrem anni Chr. 219. cuſi eſſe poſſunt. Vaillantius notatus. Cur iidem nummi referri nequeant ad congiarium ab Elagabalo in nuptiis Corneliae Paullae diſtributum? Herodianus explicatus. Aquiliae Severae nummi Aegyptii illuſtrati. Cornelia Paulla quando ab Elagabalo in uxorem ducta & repudiata.

Pag. 9.

Digitized by Google

Pag. 9. *Congiarium hoc ſecundum recte monet Vaillantius datum fuiſſe ob nuptias cum Cornelia Paulla.*

QUam recte de hoc nos moneat Vaillantius, non equidem adſequor. Nummi, qui congiarium hoc ſecundum exhibent, hac ſignantur epigraphe: TR. P. II. COS. II. Quapropter neque cuſi ac ſignati eſſe poſſunt ante Novembrem, neque poſt Decembrem anni Chriſti 219. Non ante Novembrem, quia, ut vidimus, quum Elagabalus nondum Romam veniſſet, congiarium dividere Romanae plebi non poterat. Non poſt Decembrem, quia calendis proximis inſequentis anni 220. Conſulatu II. qui in iisdem nummis inſcribitur, jam abſoluto, tertium ſuſceperat. Poſt Octobrem igitur & ante menſem Januarium anni ejusdem percuſſos eos fuiſſe oportet: quo tempore Corneliam Paullam Elagabalo nupſiſſe dici nequit.

Digitized by Google

quit, nummis ipſius Aegyptiis, qui cum notis hujusmodi: L. Γ. & L. Δ. hoc eſt, *anno* III. & IV. Imperii Elagabali inſigniuntur, aperte repugnantibus. Etenim ſi res ita ſe haberet, credere opus eſſet, Elagabalum menſes novem, vel ſaltem octo in matrimonio cum ea vixiſſe, puta a menſe Novembri, vel Decembri anni Chr. 219. uſque ad initium ſaltem menſis Julii anni ſequentis 220. ut Aegyptii ſcilicet circa initium Septembris ejus repudii nuncio nondum accepto, nummos cum nota L. Δ. ideſt *anni* IV. eidem Corneliae Paullae ſignare potuiſſent.

At verum tunc minime eſſet, ut Herodianus ſcribit, cum ea paullo poſt divortium feciſſe: *Duxit praeterea*, ait lib. 5. cap. 14. *uxorem illuſtriſſimam Romanam feminam, quam Auguſtam appellavit, cumque ea tamen* (μετ' ὀλίγον χρόνον) PAULLO POST *divortium fecit*. Dictionem enim illam, *paullo poſt*, octo, vel novem menſium ſpatio aptari nullo modo poſſe putaverim: praeſertim quum ſermo de homine ſit, qui duobus annis & menſibus octo, quibus

bus dumtaxat Romae vixit, quatuor alias, vel quinque poſt Paullam uxores duxerat. Harum una Aquilia Severa fuit, quam etiam menſes totidem cum Elagabalo permanſiſſe dicendum eſſet: quandoquidem hanc pariter non ita poſt ab eo dimiſſam Herodianus refert: *Sed eam quoque,* inquit (μετ' ȣ̓ πολὺ) NON MULTO POST *dimiſit, tertia uxore ducta, quae referre ſuum genus ad Commodum dicebatur.* Eam vero citius, quam Paullam repudiaſſe argumento eſſe poterit, nummos Aegyptios ipſius alios non exſtare, quam cum nota L. E. *anni* V. qui ad ſecundas ejus nuptias cum Elagabalo itidem initas referuntur: adeo ut prioris ejus matrimonii & repudii Aegyptios certiores eodem fere tempore factos fuiſſe credi poſſit.

Quod Herodianus ſuae hiſtoriae initio (ὀλίγον χρόνον) *breve tempus* ſexaginta annorum ſpatium dixerit, univerſo ſuo opere comprehenſum, recte illud vocare ſic poterat: habita nimirum longe plurium annorum ratione, qui jam inde ab Au-

Digitized by Google

Auguſto ad M. Aurelii uſque tempora fluxerunt, ut vel ipſe diſerte mentem ſuam aperit: *Si quis*, ait, *ab Auguſto uſque principe omnem aetatem complectatur animo, cum Romanorum potentia ad unius eſt arbitrium devoluta, ne annis quidem illis circiter ducentis (tot enim ferme ad Marci tempora numerantur) aut imperiorum tam diverſas ſucceſſiones reperiet, aut bellorum vel civilium, vel externorum tam varios caſus atque eventus*. Ita pariter dum Paullam & Aquiliam *paullo poſt* ab Elagabalo dimiſſas Herodianus dixit, ſi rationem aliam habuiſſet, quam de paucis earumdem matrimonii diebus, quos particulae ejusmodi ſignificare videntur, certe nonniſi ad reliquarum trium, vel quatuor illius uxorum matrimonia reſpicere potuiſſet: quae duobus prioribus breviora fuiſſe, tum ex Dione, qui nomina illarum prorſus reticet, tum ex eodem Herodiano, qui praeter Anniam Fauſtinam, quae tertia ejus uxor fuerat, nullam omnino mentionem de reliquis facit, non abs re coniici poterit: *Neque tamen*, inquit Dio, *hanc* (Aquiliam

Digitized by Google

liam Severam) *diu retinuit, ſed aliam poſt*, nempe Anniam Fauſtinam, *deinde aliam atque aliam duxit: dein iterum ad Severam rediit*.

At quamdiu Elagabalus primam ſui uxorem Paullam retinuerit, quodve temporis ſpatium dictio illa Herodiani, μετ' ὀλίγον χρόνον, *paullo poſt*, denotare poſſit, a Dione exponitur. Muneribus enim recenſitis, quae in ejusdem Paullae nuptiis largitus Elagabalus fuerat, ſtatim ſubdit: POST HAEC *repudiata Paulla, quod maculam haberet in corpore, ſicuti dicebat, Aquiliam Severam duxit aperte contra jus fasque*. Quare *poſt haec*, videlicet poſt munera, ſeu Congiarium in illius nuptiis populo Romano diſtributum repudiatam Paullam ab Elagabalo fuiſſe, auctor eſt Dio, qui cur tam cito eam dimiſerit, cauſſam etiam prodidit, *quod* nimirum *maculam in corpore haberet*. Quam non ante menſes octo, vel novem animadverti ab eo potuiſſe, nec veriſimile quidem, nec rationi conſonum mihi videtur.

D Quo-

Quoniam igitur nummos in honorem Corneliae Paullae habemus, anno III. & IV. Imperii Elagabali ab Aegyptiis percuſſos, hanc Elagabalum ante ejusdem anni tertii exitum menſes circiter duos, hoc eſt circa finem menſis Junii, vel initio Julii anni Chr. 220. in uxorem duxiſſe, poſt dies vero aliquot eam repudiaſſe dixerim, ſi modo ita augurari conjectura liceat: adeo ut Aegyptii circa finem Auguſti hujus matrimonii certiores facti nummos cum anno III. & menſe Septembri ineunte, alios cum anno IV. ei percuſſerint, nondum ſcilicet ejus repudii nuncio accepto. Annus hic erat epochae Chriſtianae 220. quo Elagabalus TR. P. III. COS. III. inſcribebatur. Nummus vero, qui ejus Congiarium ſecundum praefert, & quem ad Congiarium in nuptiis Corneliae Paullae diſtributum ſpectare, Vaillantius recte monuiſſe viro Illuſtriſſimo videtur, TR. P. II. COS. II. ſignatur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Epigraphe ADVENTVS AVG. quae in nummis Latinis occurrit, in Aegyptiis & Graecis omnino inſolens. Genii apud Gentiles nudi ut plurimum & coronati. Nulla in nummis Romani Imperatoris figura equeſtris nuda. Statuae apud Graecos & nudae & velatae. Plinius explicatus. Poma apud Graecos inter alia praemia victoribus in ludis data. Hinc nummus Corneliae Paullae Aegyptius illuſtratus. Scipio ſine aquila Conſulatum non deſignat. Trajani numiſmate Aegyptio non antea edito firmatur.

Pag. 17. *Non negaverim in nummis Imperatorum plerumque cum Imperator pacificatoris habitu effertur, appoſitam eſſe epigraphen* ADVENTVS AVG. *Sed in hoc nummo Corneliae Paulae, quod equidem doleo, deeſt hujusmodi epigraphe.*

CUr nummus Corneliae Paullae, quem Valſechius ex muſeo Maurocenico protulit, Elagabali adventum in urbem ſignificare neutiquam poſſit, cauſſam non unam attuli, nimirum quod Aegyptius, &,

quod potiſſimum ipſius Corneliae, non Elagabali caput, ac titulum praeſefert. Hanc vero vir Illuſtriſſimus addi etiam poſſe arbitratur, quod nempe ſolitam epigraphe ADVENTVS AVG. omnino careat: quam certe cauſſam minus idoneam eſſe non dubito. Nusquam enim ego vidi, neque me viſurum ſpero umquam nummum vel Graecum, vel Aegyptium, qui alicujus Imperatoris adventum exhibeat, titulo hujusmodi inſcriptum: ADVENTVS AVG. Qui nempe ut in nummis Latinis apponi ſolitus, ita in Aegyptiis & Graecis prorſus inſolens eſſet. Joannes Vaillantius in Aegypto Numismatica, quae ejus hiſtoriae Ptolemaeorum adjecta eſt, Dioſpolitarum nummum edidit, in quo Hadrianus eques ad illorum urbem accedens viſitur. Neque ideo quod nummus iſte non eam epigraphen habet, Hadriani Dioſpolim adventum denotare non poſſe quispiam dixerit. In eo ſiquidem epigraphe non alia, quam haec ΔΙΟΣΠΟΛΙ. ΜΕ. L. ΙΑ. *Dioſpolitarum magnorum anno* XI.

Figu-

Figuram praeterea, quae in eodem Corneliae Paullae nummo equo inſidet, ad Elagabalum omnino pertinere, quod ipſe aperte negaveram, adeo perſuaſus vir Illuſtriſſimus eſſe videtur, ut ſi non ipſum, ejus ſaltem ſtatuam referre cenſeat. *Itaque figura illa*, inquit pag.21. *repraeſentat ſtatuam equeſtrem Elagabali*. Ego quidem Genium potius ex iis aliquem per eam repraeſentari credidi, quos vetuſta ſuperſtitio nudos etiam & corona ornatos ſaepe effingere ſolebat. Quare Tibull. lib. 2. eleg. 2.

Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea ſerta comas.

Elagabalum vero Romanum Imperatorem vel hoc maxime repraeſentari ab ea non poſſe putavi, quia neque in Latinis, neque in Graecis, ſive Aegyptiacis nummis equeſtris Romani alicujus Imperatoris imago nuda mihi, uti figura illa eſt, umquam occurrit. Quod de ſtatuis etiam, quarum eadem fere eſt ratio, dici poſſe non dubito.

Con-

Digitized by Google

Contra tamen vir Illuſtriſſimus figuram iſtam Elagabali ſtatuam indicare poſſe propterea coniicit, quod, ut ait, *nuda eſt*, Plinii ſcilicet auctoritate ita ſuaſus, qui lib. 34. cap. 5. ubi de Romanis & Graecis ſtatuis agit, *Graeca*, inquit, *res eſt nihil velare*, perinde ac ſi Graeci, vel Aegyptii ſtatuas ſuas omnes nudas fecerint, & Elagabali ſtatuam iſtam velare non potuerint.

Enimvero tot veteres Romanas ſtatuas nudas habemus, gladiatorum praeſertim, Herculis, Apollinis, Mercurii, ac Veneris, aliorumque, atque itidem tot Graecas, vel Aegyptias aeque ac Romanas veſte ornatas, ut mihi mens Plinii fuiſſe videatur, frequentius quidem, quam Romanos, ſtatuas ſuas Graecos nudaſſe. Nam quam vetus & apud Graecos conſuetudo fuerit ſtatuas ſuas velandi, ut ceteros praetermittam, vel unius Aeſchinis teſtimonio demonſtrari poteſt. Hic ſiquidem in ea, quam ad Athenienſes orationem habuit in Timarchum, ut hujus in dicendo petulantiam, & immoderatum

Digitized by Google

ratum manuum geſtum carperet, ſimulque aliquod modeſtiae oratoriae exemplum ob oculos poneret, ſtatuam Solonis objecit. *Satis enim ſcio*, inquit, *vos omnes trajeciſſe Salaminem, & Solonis ſpectaſſe ſtatuam. Itaque ipſi teſtari poteſtis, Solonem in foro Salaminiorum ſitum eſſe, manu* INTRA VESTEM *condita*.

Et quidem non hominum tantum, ſed ſuorum etiam numinum ſtatuas velare Graecos conſueviſſe, ex Pauſania praeſertim liquet in Corinthiac. lib. 2. cap. 30. *Aedes ſacrae*, ait, *non multum inter ſe diſtant. Apollinis una, Dianae altera, Liberi patris tertia. In Apollinis, Dei ſignum nudum e ligno arte factum patria: at Diana, & Liber* VESTE VELATI. Venus ipſa, quae neſcio, an apud Romanos ſeſe umquam non nudam obtulerit, apud Graecos, & quidem ab ultima ſtatuariae artis origine, utpote Praxitelis opus, ipſius Plinii teſtimonio velata etiam prodiit. *Opera ejus*, inquit lib. 36. cap. 5. *ſunt in Ceramico, ſed ante omnia, & non ſolum Praxitelis, verum & in toto orbe terrarum Venus, quam ut vide-*

viderent, multi navigaverunt Gnidum. *Duas fecerat, ſimulque vendebat: alteram* VELATA *ſpecie &c.* Pauſanias praeterea in Eliac. prior. lib. 5. cap. 12. *Romanis vero Imperatoribus,* ait, *ſtatuas e Pario marmore. Hadriano urbes Achaici conventus, Trajano univerſi Graeci erexerunt.* Quod idcirco attuli, ne Romanos hos Principes per Achajam & univerſam Graeciam ubique nudos expoſitos fuiſſe, ita ſibi facile quispiam perſuaſerit. Quod profecto eveniſſet, ſi res ita ſe haberet, ut Graeci ſtatuas ſuas omnes nonniſi nudas feciſſent.

Ut vero de figura ejusmodi ſtatua Elagabali undique effingatur, praeter nuditatem & caput corona circumdatum alia quoque Imperatoria inſignia vir Illuſtriſſimus in eadem agnoſcit. *Globus* enim, ait pag. 22. *quem manu elatum geſtat Elagabalus, orbem terrarum ſignificat, cujus ille imperium obtinebat.*

Pilam potius trigonalem in ludis Actiis Pythiis adhiberi ſolitam, quam orbem terrarum Hieronymus Mercuria-
lis

lis globum illum dixiſſet, unamque ex iis eſſe, quas in nummo M. Aurelii a Byzantiis percuſſo ipſe deprehendit lib. 2. cap. 5. de Arte Gymnaſt. os quidem globos alii fortaſſe poma dixerint, quae victoribus in iisdem ludis una cum coronis praemio dabantur. De quo exſtat Archiae epigramma, quod in Antholog. veter. Graecor. Hieronymi Megiſeri ita ſe primum offert:

Τεσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα. Τέσσαρες ἱροὶ,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Αρχεμόροιο,
Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σελίνα, πίτυς.

Quod inter ceteros Paullus Stephanus latine ſic vertit:

Hellas habet quatuor, quatuor certamina ſacra,
Altera ſunt ſuperis, altera ſacra viris.
Portuno, Archemoro ſacra ſunt, Phoeboq; Jovique,
Pinum, oleaſtrum, apium, POMA*que victor habet.*

E Videa-

Videndum igitur,an Alexandria, aut celebris urbs alia Aegyptia nuptiarum Corneliae Paullae certior facta, equeſtria in ejus honorem certamina inſtituerit, eaque per juvenem illum equo inſidentem nudatumque, uti luſores illi effingebantur, indicare voluerit. Qui nempe coronam vel pineam, vel ex oleaſtro, vel ex apio, ſimulque pomum victoriae ſuae inſignia gerit.

Ita Aegyptios ſuorum quandoque ludorum Genios deſignaſſe, ex Domitiani etiam nummo fit manifeſtum: qui Londini, in Cimeliarchio editoris anonymi Sylloges Numismatum antiquorum (iſte enim libri titulus) hujusmodi exſtat.



In

Digitized by Google

In quo, ut patet, duo juvenes nudi pariter occurrunt, qui ſiniſtra globum ejusmodi geſtant, dextra vero mutuo ſe coronant, ut ambos in certamine victores evaſiſſe indicio eſſet.

Vir Illuſtriſſimus deinde ſubdit: *Scipionem ſiniſtra geſtat fortaſſe ad Conſulatum ejus denotandum, cujus inſigne ſcipio eſt*. Sed quo aquila? ſine qua ſcipionem illum Conſulatum denotare numquam poſſe crediderim? Quapropter ut in eo Conſulatum agnoſcam, cum Juvenale dicam ſat. x. ℣. 43.

Da nunc & volucrem, ſceptro quae ſurgit eburno.

Aquila namque ſuper virga eburnea adeo peculiare Romanorum Conſulum inſigne ſemper fuit, ut vel exterae nationes quoties Romanorum Imperatorum Conſulatus in nummis deſignare vellent, eam numquam omitterent. Inter numiſmata celeberrimi muſei Carpinei, ſolida quidem reconditaque eruditione expoſita & illuſtrata per Philippum Bonarotam Senatorem Florentinum Cl. virum

doctiſſimumque, & in re nummaria nemini ſecundum, Graecus Antonini Caracallae nummus exhibetur a Perinthiis in illius Conſulatu IV. percuſſus, qui de hoc ſolemne nobis exemplum ſuppeditat. Si Graecis iſtud, non Aegyptiis concedere quiſpiam velit, noſter hic alius, qui non Graecus, ſed Aegyptius eſt, & ſub Imperio Trajani ſignatus cum characteribus iſtis L.IΔ. hoc eſt, *anno* XIV. ejus Imperii, ſcrupulum certe omnem ademerit.



Ut patet, in hoc etiam Imperator in curru quatuor equis juncto ſpectatur, qui dextra ramum, ſiniſtra non nudam ac ſimplicem virgam, ſed eburneum cum aquila deſuper ſceptrum protendit.

CAP.

C A P. I V.

Ab Herodiano nonniſi quatuor Imperii annos potuiſſe Elagabalo tribui, & cur? Scriptor alter Herodiano aequalis, qui ſex amplius annos Elagabalum imperaſſe ſcribit. Hinc ad veterum nummorum fidem uterque corrigendus.

Pag. 45. *Itaque Herodianus, uti ego quidem cenſeo, ſcripſit Elagabalum occiſum fuiſſe* εἰς τέταρτον ἔτος ἐλάσας τῆς βασιλείας in quartum annum Imperio producto. *Notarii autem pro* τέταρτον quartum, ἕκτον ſextum *ſubſtituerunt*.

ITa quidem non modo ab Herodiano ſcriptum, ſed neque aliter ſcribi ab eo potuiſſe infra oſtendam: non quod annum illum quartum, ex Dionis ſententia non completum, pro integro ille accepiſſet: ſed quia annum Chr. Julianum 222. quo ille periit, totum Alexandro ejus ſucceſſori tribuit, ſicuti etiam ſuo loco infra videbimus.

Tum ſane mihi propterea veriſimile ma-

Digitized by Google

magis videbatur, librarios ἕκτον pro πέμπτον, quam pro τέταρτον ſcripſiſſe, quod facilius ſit oculos vel aures in duabus vocibus analogis decipi, quam in duabus tam inter ſe diſſimilibus, & quarum una ex duabus, altera vero ex tribus ſyllabis conſtat, diverſumque ob vocales diverſas ſonum emittit.

Praeterea, *in hanc ſententiam*, vir Illuſtriſſimus inquit, *eo potiſſimum feror, quod nemo unus eſt inter Graecos ſcriptores, qui ſexennium imperaſſe Elagabalum tradiderit*. Neque hercle eruditiſſimus Valſechius praeter Herodianum vidit alium, qui annos ſex Elagabalum in Imperio vixiſſe ſcripſerit. At S. Hippolytus, cui pag. 86. librum Generationis, ſeu de Diviſionibus gentium vir ipſe Illuſtriſſimus quodammodo adſcribere videtur, ſcriptor Graecus fuit, eaque aetate floruit, qua Herodianus & Dio. Hic apud Ducangium prope libri finem, qui in XIII. & ultimum annum Alexandri deſinit, non ſex Imperii annos tantum, ſed aliquid amplius Elagabalo tribuit: *Antoninus,*

ninus, ait, *annis ſex imperavit*, *menſibus octo*, *diebus* XXVIII.

Herodianus itaque, qui Elagabalum in ſextum annum Imperium produxiſſe ſcribat, jam ſolus non eſt. At non propterea, quod ſocium invenerit, eadem ipſorum loca menda prorſus omni carere dixerim, neque ad veterum potius nummorum, quam Dionis aliorumque ſui temporis ſcriptorum fidem, corrigenda eſſe putaverim: quorum quidem nec melior apud librarios, imperitiſſimum hominum genus, conditio fuit.

C A P. V.

In Programmate Cycli Paſchalis S. Hippolyti nihil eſt, quod Inſcriptioni Panvinii repugnet. Vetera monumenta in ſuſpicionem fruſtra vocantur, niſi ſuſpicio probetur. Antoninus Elagabalus Deum ſuum Elagabalum Diis omnibus & ipſi Jovi anteponi ſtuduit. Deus Elagabalus apud Syros Sol & Juppiter. Idem apud Aegyptios Serapis. Hic a Septimio Severo praecipue cultus. Inſcriptionis aedis Serapidis fragmentum. Antoninum Caracallam eam dicaſſe, & ab Alexandro ornatam deinde fuiſſe oſtenditur. Idem fragmentum nummis ſuppletum: hi vero ab eo illuſtrati. Statuam eidem Serapidi Elaga-

balus

balus dedicat. Hujus dedicationis inſcriptio ex Panvinio & e ſchedis Vaticanis. Hinc fides illius undique probata.

Pag. 64. *Ergo alterutrum ex his antiquitatis monumentis falſum, vel mendax eſt.*

UTrumque legitimum ac verax eſſe, numquam profecto dubitavi. Sancti Hippolyti marmor ex eo, quod annum primum Alexandri cum Idibus Aprilibus anni Chr. 222. conjungat, nihil in ſe habet, quod veritati, atque adeo quod inſcriptioni Panvinii repugnet, quae Idibus ipſis Aprilibus ejusdem anni Elagabalum Imperatorem in vivis adhuc exhibet. Hoc nos denuo adſerimus, & ſuo loco magis magisque declarabimus.

Ad Panvinii inſcriptionem quod ſpectat, ut plenam perfectamque fidem & auctoritatem facere ea non poſſit, ac ſuſpectae potius fidei eſſe cenſeatur, vitia ipſius, ſi quae ſunt, indicari oportet, eaque idoneis argumentis probari. Nam ſatis

Digitized by Google

ſatis non eſſe arbitror, quod marmor illius amplius non exſtet; quod quidem neque affirmari, neque negari certo poterit: vel quod a Panvinio productum ſit, qui, ut vir Illuſtriſſimus ait, nobis non ſemel falſas ac vitiatas inſcriptiones obtruſit. Si enim ita res ſe haberet, ac non tantum ille, quod inficiari nemo poteſt, in Romanis faſtis condendis ſuo non ſemel ingenio indulſerit; inſcriptiones, quas non paucas ab eodem exceptas, vel quarum marmora periere, Gruterus recitat, jam dubiae fidei, & nullius auctoritatis eſſent: ac proinde Gruterus ipſe, & cum eo Reineſius & Fabrettus, ceterique viri eruditiſſimi, qui in iis undique colligendis tanta cum laude inſudarunt, operam luſiſſent: a quibus etiam inſcriptiones quamplurimae adduci ſoleant, quarum lapides vel prorſus non exſtant, vel ubi ſint, penitus ignoratur.

Verum quod in ea facile admitti non poſſe Illuſtriſſimus vir exiſtimat, hoc unum eſſe ait, quod Antoninus Elagabalus Serapidi ſtatuam, ut ipſa praeſe-

Digitized by Google

fert inſcriptio, dicarit. Nam Lampridius de inſano perditiſſimi hujus Imperatoris cultu erga idolum ſuum Elagabalum, unde vulgare id nomen accepit, haec atque alia hujusmodi ſcribit: *Nec Romanas tantum extinguere voluit religiones, ſed per orbem terrae unum ſtudens, ut Heliogabalus deus unus ubique coleretur.* Quapropter Serapidem coluiſſe, minus veriſimile eſſe arbitratur.

Videtur vero mihi, praecipuum hoc illius ſtudium fuiſſe, non ut aliorum deorum cultus omnis & religio ceſſaret, ſuusque Elagabalus deus unus ubique coleretur, ſed ut prae ceteris Romanorum diis, atque ipſo etiam Jove deus ille in honore eſſet. Quod quidem Dio in excerptis Xiphilini diſertis verbis explicat: *Inter ejus ſcelera*, inquit, *eſt illud de Heliogabalo, non ſolum quod deum peregrinum introduxit in urbem, aut quod eum novis & magnis honoribus affecit: ſed quod* IOVI EVMDEM ANTEPOSVIT. Haec eadem Zonaras: *Peregrinum quemdam deum Helagabalum Romam introductum* IOVI OPTIMO MAXIMO PRAETVLIT.

TVLIT. Herodianus item id ipſum confirmat lib. 5. cap. 12. ubi ait: *Edixit item* (Elagabalus) *ut omnes Romani magiſtratus, quique publice ſacra facerent,* ANTE ALIOS DEOS, *quorum meminiſſe inter ſacrificandum ſolent, novum illum deum Heliogabalum nuncuparent*. Ex quibus non obſcure apparet, Romanas eum religiones extinguere minime voluiſſe, neque interdixiſſe Romanis, ne ſacra diis aliis facerent, neque inter illa eos nuncuparent, ſed hoc tantum edixiſſe, ut deus ſuus Elagabalus ante illos nuncuparetur.

Ad hoc vero eo potiſſimum Elagabalum inductum fuiſſe putaverim, vel quod ipſe illius idoli ſacerdos erat, vel quod illud apud Syros eumdem, quem Juppiter apud Romanos principem inter deos ceteros locum obtinebat. Quocirca apud Spartianum in Antonino Caracalla cap. ult. *Sol & Juppiter Syrius* dicitur: & Lamprid. in ipſius Elagabali vita cap. 17. *Opera ipſius publica*, ait, *praeter aedem Heliogabali dei, quem Solem alii, alii Jovem dicunt* &c. *nulla exſtant*.

Digitized by Google

Propterea nihil obſtat, quominus ſecundum deum iſtum ſuum, quem pro Jove a Romanis etiam haberi & coli cupiebat, deos quoque alios cultu aliquo illum proſequutum fuiſſe credamus. Quos quidem ab illius conſortio ſubmotos per eum minime fuiſſe, nummi ipſius teſtari poterunt, in quibus non dei ſui tantum, ſed Jovis etiam, Martis, Cybeles, Veneris & Aeſculapii imagines non ſemel conſignatae fuere. Idque itidem Herodianus prodidit lib. 5. cap. 16. ubi pompam illam deſcribens, qua quotannis aeſtivo tempore deus iſte ad templum, quod maximum Elagabalus ei fecerat, deduci ſolebat: *Tum*, inquit, DEORVM OMNIVM *ſimulacra & quicquid conſpicuum in templis, principatusque inſignia & precioſiſſima ſupellex: equites item & exercitus univerſus pompam illiusmodi comitabantur*. Ex Lampridio praeterea in ejus vita cap. 7. diſcimus, quaedam illum numinum ſimulacra, quae apud Romanos majori in pretio & veneratione eſſent, rapuiſſe, locaſſeque in maximo dei ſui templo, *cujus miniſtros*

illos

Digitized by Google

illos eſſe ajebat: quum alios ejus cubicularios appellaret, alios ſervos, alios diverſarum rerum miniſtros. Inter quos cur etiam Serapidi locus aliquis, ac non in infimis quidem ſubſelliis, eſſe potuit, quum hic pariter apud Aegyptios & Romanos quo in honore eſſet, Elagabalo fortaſſe non latuit? De eo Tacit. lib. 4. Hiſt. cap. 81. ubi de Veſpaſiano: *Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, remedium caecitatis expoſcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens* ANTE ALIOS *colit.* Ac praeſertim quod naturali ſignificatione acceptus a deo Elagabalo non diverſus, atque ut ipſe a Syris, ita iſte ab Aegyptiis & Romanis uti Sol & Juppiter credebatur, quemadmodum tot vetera monumenta fidem faciunt, quae IOVI OPTIMO MAXIMO SARAPIDI, & IOVI SOLI INVICTO SERAPIDI inſcribuntur.

Non igitur haud vero ſimile erit, Antoninum Elagabalum ſtatuam eidem Serapidi dicaſſe, ut Panvinii inſcriptio monet, maxime ſi Septimii Severi & Antoni-

tonini Caracallae, quorum ipſe filium ac nepotem ſe eſſe profitebatur, praecipuam erga idolum iſtud religionem etiam ſpectemus, a qua propterea eum prorſus abhorruiſſe, credendum non eſt. De Septimio Severo Spartianus cap. 17. ubi iter illius per Aegyptum deſcribit, haec habet: *Jucundam ſibi*, ait, *peregrinationem hanc propter religionem dei Serapidis &c. Severus ipſe poſtea ſemper oſtendit*. Antoninum vero Caracallam Elagabali patrem, ut ipſe ajebat, ut ea omittam, quae Alexandriae in ejusdem Serapidis templo, etſi per ſimulationem, illum egiſſe Herodianus eſt auctor, aedem Romae ei ſtruxiſſe, vel dicaſſe, vetus tabula marmorea docet, cujus fragmentum, uncialibus literis inſculptum, Romae in aede Sanctae Agathae Gothorum etiamnum exſtat. Quod & Petrus Appianus recitat pag. 257. perinde tamen, ac ſi lapis integer eſſet. Eſt vero hujusmodi.

SERA-

Digitized by Google

SERAPIDI. DEO ....
.... M. AVRELIVS. ANTONINV ....
.... IFEX. MAX. TRIBVNIC. POTE ...
AEDEM

Quominus ad M. Aurelium Antoninum *Elagabalum* pertinere inſcriptio haec poſſit, etſi nihil in ea eſt, quod impediat, ne auſim tamen de hoc ſuſpicari: quandoquidem ſi ſtatuam Elagabalus, eo magis aedem Serapidi dicare nequierit. Neque item M. Aurelio Antonino *Philoſopho* aptari eam poſſe putaverim, quandoquidem hunc Romae Iſidi, aut Serapidi templum ullum feciſſe, vel dicaſſe, nec proditum memoriae ſit. Quin etiam ita parum Serapidi addictus fuiſſe, probaſſeque ejus ſacra videtur, ut, quemadmodum Capitolinus narrat in ejus vita cap. 23. *Sacra Serapidis a vulgaritate Peluſiae ſubmoverit*. Reſtat igitur, ut non alii Antonino tribui ea poſſit, quam *Caracallae*, quem quidem Iſidis, ac proinde Serapidis eximium cultorem fuiſſe, tot alia ubique templa probant per eum Iſidi aedifi-

Digitized by Google

dificata, quae cum Serapide ſociata uno eodemque templo, ac *juncta religione*, ut ait Macrob. lib. 1. cap. 20. *celebrabatur*. Spartianus enim in eodem Caracalla c. 9. *Sacra Iſidis*, inquit, *Romam deportavit, & templa ubique magnifica eidem deae fecit*. Quare apud Lamprid. cap. 26. Alexander alter illius filius *Iſium* & *Serapium*, quod, ut recte coniicit Caſaubonus, Caracalla ipſius pater exſtruxerat, *decenter ornavit, additis ſignis deliacis, & omnibus myſticis*.

Hoc vero ejusdem inſcriptionis fragmento Antonini Caracallae nummi, qui cum Serapide occurrunt & epigraphe: P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. in aliis vero: P. M. TR. P. COS. IIII. P. P. illuſtrari admodum poſſe videntur: his deinde notum fieri, aedem illam ab eo dicatam Serapidi fuiſſe anno Chr. 212. poſt VII. Id. April. quum a proxima inſequenti die TR. P. XV. ſe inſcribi coeperit, adeout poſſit fragmentum ipſum ita ſuppleri:

SERA-

SERAPIDI. DEO. SACR
IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG
PONTIFEX. MAX. TRIBVNIC. POTEST. XV. COS. III. P. P
AEDEM

Quo inde ſit, ut non minus veriſimile appareat, Elagàbalum Caracallae pariter filium in eadem fortaſſe aedem, quam Serapidi pater fecerat, ei ſtatuam dicaſſe, inſcriptione hac in ſuppoſita baſi inſculpta, quam, ut diximus, Panvinius recitat lib. 2. Faſt.

SERAPI. SACR
IMP. CAES. M. AVREL
ANTONINVS. AVG
PIVS. FELIX. COS. IIII
P. P

a tergo.

DEDIC. ID
APR. IMP
CAES. ANT
PIO IIII. ET
M. AVR. ALE
XANDRO
COS

G At-

Atque ea quidem non aliter legitur in Cod. Vatic. 6035. fol. 29. niſi quod minutiori charactere ſcribitur, & pars poſterior baſis anteriori praeponitur ita:

Dedic. Id	*Serapi. Sacr*
Apr. Imp	*Imp. Caeſ. M. Aurel*
Caeſ. Ant	*Antoninus Aug*
Pio. IIII. *&*	*Pius Felix Coſ.* IIII
M. Aur. Ale	*P. P*
xandro	
Coſ	

Characteris hujus forma hominem alium a Panvinio illam exſcripſiſſe arguit, & diverſa ac praepoſtera, qua lapis exſcriptus eſt, ratio, non ex Panvinio ſumptam, neque ex hac Panvinium ſumpſiſſe ſuam, ſed utramque ex marmore deſcriptam fuiſſe manifeſtiſſime prodit.

Iſtius praeterea inſcriptionis integritas ex ſententia etiam illorum probatur, qui ante ipſius Elagabali mortem ſtatuam poſitam, eoque poſtea ante illius dedicationem interfecto, ab alio, puta ab Alexandro dicatam fuiſſe opinantur. Nam

Digitized by Google

Nam quoties, Elagabalo ſuperſtite, id fieri potuiſſe concedimus, jam nihil agnoſcimus, quominus Elagabalus ſtatuam Serapidi ponere ac dicare potuerit.

Qui vero de hac inſcriptione id comminiſcuntur, eo potiſſimum argumento adductos eſſe ſcio, quod Panvinius inter inſcriptiones ceteras cum ipſa hanc etiam aliam ad quartum Elagabali Conſulatum illuſtrandum recitat:

COLLOCATA . V. IDVS. MART
IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO
PIO. FELICE. AVG. IIII. ET
M. AVR. ALEXANDRO. NOBILISSIMO. CAES
COS

Quam ad Serapidis ſtatuam illam ſpectare nulla ducti ratione affirmant. Quod ſi ita eſſet, mirari profecto oporteret, Panvinium, qui poſticae partis literas *a tergo* inſculptas eſſe lectores monuit, hae dextro ne baſis latere, an ſiniſtro legerentur, nos monitos facere praetermiſiſſe.

Qui praeterea ſtatuam illam dedicaverit (nam hoc etiam iſti in dubium vo-

cant) Elagabalus, ſive, ut baſis inſcriptio docet, *Imp. Caeſ. M. Aurel. Antoninus Aug. Pius Felix Coſ.* IIII. *P. P.* appellabatur. Ejus namque nomen in recto ibi poſitum, quid denotare poſſit aliud, explicent velim.

C A P. V I.

Xiphilinum menſium nomina per literas initiales indicaſſe, non veriſimile. Numeros per literas ſingulares ſcribendi uſus apud Latinos & Graecos frequens. Menſes non item. Notarii ab Euſebio Ταχυγράφοι *celeres ſcribae* appellati. Praenomina, quorum litera prior non diverſa, a Latinis non eodem modo indicata. Elagabalum die 16. Maii Imperatorem fuiſſe ſalutatum, & 7. Junii cum Macrino pugnam iniiſſe demonſtratur. Pagius notatus. Macrinus qua die Imperio potitus. Septimii Severi dies natalis. Vetus Calendarium illuſtratum. Poſt mortem Caracallae biduo Imperium ceſſavit. Cur Pagius Xiphilini & Dionis Majum in Martium verterit. Solaris eclipſis a Dione enunciata.

Pag. 67. *Quae permutatio, ut hoc addam, non adeo eſt inveriſimilis, ut quia Xiphilinus ſcripſerit ſolam primam literam M, quam libra-*

librariis placuit potius in Majum, quam in Martium vertere.

XIphilinum per unicam initialem literam menſium nomina ſcripſiſſe, maxime vero illorum, qui ab una eademque litera initium ducunt, res mihi, quae nullam cum vero affinitatem habeat, omnino videtur. Ei non ſemel in ſuis e Dione excerptis menſes nominare contigit, quos tamen ſingulari litera indicatos ab eo fuiſſe, tam in ejus exemplaribus editis, quam in iis, quae manu exarata obſervare potui, nusquam ſane perſpexi. Nemo certe noſtrum menſes iſtos, puta Januarium, Junium & Julium, Martium, & Majum, Aprilem & Auguſtum ita compendio ſcriberet & indicaret. Cur itaque Xiphilinum, addo & Spartianum, ita eos ſcripſiſſe & indicaſſe volumus? atque ita parum caviſſe, ut non viderint, literas illas, M. ſcilicet Xiphilini pro

Majo

Digitized by Google

Majo non minus, quam pro Martio, & A. Spartiani tam pro Aprili, quam pro Auguſto accipi potuiſſe, uti jam contigiſſe vir Illuſtriſſimus putat?

Quum de annis egi, ad quos Herodianus Imperium Elagabali producit, mihi pariter in mentem venerat, annum quintum per literam numeralem ϵ ſcribi ab eo potuiſſe, eamque poſtea librarios in ἕκτον *ſextum* vertiſſe. Discrimen hoc tamen inter conjecturas huiusmodi intererat, ut omnium fere temporum ſcriptoribus tum Graecis, tum Latinis in uſu fuerit, numeros per notas paſſim ſcribere, menſium vero nomina non item, ſi eos tantum excipias, qui ab Euſebio lib. 6. cap. 17. Hiſt. Eccleſiaſt. Ταχυγράφοι *celeres ſcribae* appellantur. Hos vero alio atque alio modo Majum & Martium delineaſſe, Tironis & Senecae notae illae apud Gruterum ſatis demonſtrant.

Pari quidem modo a Latinis ſcriptoribus (quod ſimiliter de Graecis in hac re ſentiendum eſſe exiſtimo) fieri conſueviſſe, exemplum nobis non unum his prae-

Digitized by Google

praenominibus praebet antiquitas, quae, ut ambiguitas omnis abeſſet, diverſo modo deſignari ſolebant, Titus nempe per T., Tiberius per Ti., Marcus per M., Manius per M', Cneus per Cn., Cajus per C., Caja per Ↄ. & alia huiusmodi: adeo ut hanc viri Illuſtriſſimi conjecturam opinioni Pagii nullius fere adminiculi ac ſubſidii eſſe poſſe cenſuerim.

Neque praeterea quicquam impedimento eſt, quominus Dio Elagabalum Imperatorem declaratum die Maji 16. literis conſignare potuerit, quod ea ſcilicet omnia, quae ab eadem die ad praelium cum Macrino initum geſta fuiſſe hiſtorici narrant, intra dies decem & octo geri minime potuiſſe Pagius ipſe putaverit. Nam ſi eadem omnia paullo attentius ac ſigillatim perpendantur, vel intra pauciores dies peragi potuiſſe conſtabit. Rem ita demonſtro.

Exercitum, qui prope Emeſam tuendae Phoeniciae praepoſitus erat, Eutychiani ſuaſu Antoninum Elagabalum Emiſenum puerum, Solis ſacerdotem,

Impe-

Digitized by Google

Imperatorem ſalutaſſe, Macrinus, Herodiano teſte, Antiochiae certior eſt factus. Emeſa, ut ex Itinerario Antonini, millia paſſuum 133. ab Antiochia diſtat, ita ut unius fere diei ſpatio per celerem tabellarium id perferri ad Macrinum potuerit. *At Macrinus*, ſubdit Herodianus lib. 5. cap. 4. *rem totam, quaſi puerilem contemnens, conſuetamque obtinens animi alacritatem, domi ipſe ſedens, unum e ſuis ducibus mittit, traditis copiis, quantae ad rebelles expugnandos viderentur ſuffecturae.* Ipſe vero Apameam ad milites Albinios interea proficiſcitur, ut auctor eſt Dio.

Milliariis illis 133. quae ſunt Antiochia Emeſam, non per 36. quot Maximinus adverſus Licinium proficiſcens apud Lactantium conficere ſolebat, ſed per quinque ac viginti tantum in ſingulos dies diviſis, quot celeri gradu a militibus fieri poſſe vir Illuſtriſſimus non dubitat, Macriniani illius ducis iter, diebus fere duobus quietis ei adſignatis, intra dies ſeptem jam fuerit peractum.

Mox vero Herodianus: *Ut autem*, in-

Digitized by Google

inquit, *eo pervenit Julianus (id enim nomen Praefecto fuit) ac jam moenibus ſuccedebat, ſtatim incluſi milites puerum exercitui infeſto de turribus pinniſque oſtentare: vociferari; Antonini filium: ſacculos quoque nummorum plenos, eſcam ſcilicet proditionis, attollere. At illi, credito Antonini eſſe filium, & (quoniam ſic videri volebant) facie quoque & lineamentis quamſimillimum exiſtimantes, caput amputant Juliano, mittuntque ad Macrinum*. Julianus antequam necaretur, ut ex Dione quoque coniici poteſt, diem non amplius unum, vel alterum ſub munitionibus immoratus fuerit: miles vero, qui ad Macrinum Apameae tunc agentem illius caput detulit, curſu celeri unius diei ſpatio illuc pervenerit, quum milliaria quatuor ac ſexaginta tantum conficienda ſibi fuiſſent.

Haec inde Dio pag. 903. *Macrinus, eo, quod actum eſſet, cognito, non amplius vel illo manere loco*, id eſt, Apameae, *vel ad murum accedere fuit auſus: ſed Antiochiam feſtinanter ſe contulit*. Herodianus vero: *Quibus auditis*, ait, *Macrinus cum omni*

exercitu ad caſtra illa oppugnanda contendit (poſtquam ſcilicet Antiochiam ſe receperat) *Antoninus autem, militibus oppugnationem haud expectantibus, ſed congredi audentibus, copias omnes educit. Concurrerunt autem inter ſe exercitus uterque in Phoeniciae Syriaeque finibus*: & Dio pag. 888. *Contra hunc Pſeudantoninus* TANTA CELERITATE *proficiſcitur, ut difficile Macrinus in vico quodam Antiochenorum* (*is diſtabat a civitate ad millia paſſuum* XXII.) *cum eo conflixerit*. Quare quum ſumma celeritate, ut ait Dio, profectus fuerit, eadem illum die, qua Macrinus Apamea feſtinato itinere Antiochiam eſt reverſus, quae poſt Juliani interitum dies fuiſſe altera videtur, exercitum adverſus Macrinum eduxiſſe veriſimile eſt. Inde paſſuum millibus centum circiter ac decem ad vicum illum Antiochenorum Emeſa progreſſus, in Macrini exercitum incidit, cum quo dimicans victor diſceſſit.

Milliaria haec centum ac decem ſi per quinque itidem ac viginti in ſingulos dies diſtribuantur, una vel altera die quie-

quietis addita, intra dies quinque, aut paullo amplius Elagabali exercitus illuc pervenerit. Qui dies cum reliquis in unum collecti dierum ſexdecim ſummam efficiunt.

Certamen vero illud non die tertia, ut perperam Pagius eſt arbitratus, ſed ſeptima Junii contigit: quod ex Imperii Macrini ſpatio a Dione deſcripto argui omnino debet. Ejus Imperii exordium non a die ipſa mortis Antonini Caracallae, hoc eſt a die octava Aprilis, ut idem Pagius contendit, ſed a die undecima ejusdem menſis anni Chr. 217. a ſe deductum, ipſemet Dio his verbis diſerte declarat: *At illo* (Antonino Caracalla) *ſublato, non aperte quidem, nec ea die*, hoc eſt VI. Id. April. *nec duabus ſequentibus*, V. nempe, & IV. *Imperium invaſit, ne hanc ipſam ob cauſſam illum occidiſſe videretur. Sed illo toto tempore* CARVIT OMNINO RES ROMANA PRINCIPIS IMPERIO, *cujus abſoluta poteſtas eſſet*, & paullo poſt: *ſic quarta demum die* ſcilicet III. Id. April. *quae Severi natalis erat, Imperator ab eis, quaſi vi coactus ſcilicet,*

creatus fuit. Quae dies non IV. ut in veteri Calendario, ſed rectius III. Id. April. ut in natalibus Caeſarum ſignatur apud Bucherium, & apud Dionem in fine libri 76. cui & Herodianus conſentit lib. 4. cap. 27. ubi ait: *Extincto Antonino. incerti ignarique quid agerent milites*, BIDVO SINE IMPERATORE *fuerunt quaerentes inter ſe, quem potiſſimum deligerent*, ideſt, V. & IV. Idus April. die mortis Caracallae, & altera, qua Macrinus Imperium ſuſcepit, non numeratis. Imperavit Macrinus, ut Dio refert, annum unum, & menſes duos, tribus diebus exceptis. Quare ſi ab undecima die Aprilis anni 217. ejus Imperii tempus numeres, die decima Jnnii anni inſequentis 218. menſes duos integros ultra annum Macrinus imperaſſet: ex his vero dies tres excipiantur, hoc eſt dies decima, nona, & octava Junii, ſeptima ejus menſis dies occurret, qua ab Elagabalo in acie victus imperare deſiit.

Si ab eadem die ſeptima Junii, quo pugna contigit, uſque ad 16. Maii, qua Elagabalum milites Imperatorem ſalutarunt,

runt, retrocedamus, jam tres ac viginti dies exurgent, diebus extremis, quibus Elagabalus declaratus eſt Imperator, commiſſumque praelium fuit, computatis. Hic dierum numerus, qui ab exercitus acclamatione ad pugnam interceſſit, diebus ſaltem ſeptem ſuperatur, quos vel ante expeditiones, vel in profectionibus, vel alia de cauſſa impenſos fuiſſe dicendum eſt.

Haec igitur ea ſunt, quae Pagio nonniſi intra trium fere menſium ſpatium abſolvi potuiſſe viſa fuere, & quae Xiphilini, ſeu Dionis Majum in Martium vertere ipſum compulerunt, ut nimirum Elagabali nummos Trib. Pot. v. ſignatos priori ſuae opinioni, quam futilem & commentitiam agnitam a ſe poſtea omnem abjecit & ejuravit, quocumque poſſet modo accommodaret.

Opinionis praeterea hujusmodi falſitas quamvis ex hactenus dictis manifeſtiſſime appareat, poſſet ea inſuper altero Dionis teſtimonio confirmari. Scribit enim pag. 901. per idem tempus, quo

exer-

exercitus Phoeniciae a Macrino ſeceſſionem fecit, & Elagabalum Imperatorem ſalutavit, inter alia Solis eclipſim, tamquam triſte, ut illorum temporum ſuperſtitio erat, ejus ſeditionis nuncium accidiſſe: *Ac mihi,* ait, *ſane videtur, ſi quid aliud umquam, hoc quoque denunciatum fuiſſe ſignis evidentiſſimis. Nam & Solis defectus iis diebus inſignis accidit.* Et quidem ſupputationibus ex tabulis Aſtronomicis ad Romae meridianum initis, Sol anno Chr. 218. quo id contigit, a menſe Januario ad Octobrem uſque, cujus die ſexta, horis duabus ante meridiem toto fere lumine ſuo caruit, in Novilunio dumtaxat menſis Aprilis defeciſſe comperitur: hoc eſt, die 12. ejusdem menſis, hora quinta & ſcrupulis 42. poſt meridiem. Quapropter etſi quidem toti Europae eclipſis iſta minus conſpicua exſtitit, adeo ut a Dione neque etiam Pergami, cujus ille praefecturam ſibi a Macrino delatam adminiſtrabat, conſpici, nec (ſi non ad rem ipſam fortaſſis amplificandam) inſignis dici potuerit; ut nihilominus

nus rei veritas conſtet, hoc ſufficere videtur, illam ab ejus temporis Mathematicis indicatam, unde patere Dioni potuit, vere contigiſſe, ac luminarium ſaltem contactum in aliqua Romani orbis parte ſpectatum eſſe: ſicuti etiam, ut ex hoc abunde certum exploratumque ſit, milites non menſe Martio, ſed Majo, ſicuti ſcriptum a Dione fuit, eas in Phoenicia turbas excitaſſe, id ſatis erit Novilunium, quod menſem Majum, non quod Martium proxime anteceſſit, eclipticum revera fuiſſe.

C A P. V I I.

Nummos Elagabali cum TR. P. V. paucos dies ante quam illam iniret, ſignari non potuiſſe. Nummus aliquis cum anno, ad quem Imperator, cujus eſt nummus, non pervenit, nondum inſpectus. Nummorum Veſpaſiani exemplo firmatur. Annorum in nummis anticipatio hiſtoriam temporum turbaſſet. Novo ſtatim anno inito, nummos percuſſos. Si Elagabalus menſe Martio interfectus fuiſſet, ejus nummi cum TR. P. V. tres fere menſes ante, quam illam attingeret, percuſſi eſſent.

Pag. 68. *Itaque nummi cum* TR. P. V. *opinioni Pagii aptari poterunt, ſi diximus,* *eos*

eos fuiſſe percuſſos diebus aliquot ante ingreſſum anni quinti Elagabali, ut in promptu eſſent die ipſo natali ejus : quod fieri potuiſſe nemo negabit.

SI verum eſſet, quemadmodum verum non eſſe oſtendimus ſupra, Phoeniciae milites ex ſententia Pagii die 16 Martii anni Chr. 218. Elagabalum Imperatorem ſalutaſſe, illumque eodem menſe trucidatum fuiſſe, nummos, qui annum quintum ejus Imperii praeferunt, paucos dies ante, quam illum iniret percuſſos eſſe, ut die ipſius natali in officinis monetariis in promptu eſſent, ſi non ego conceſſerim, eſſet fortaſſe aliquis, qui non negaverit. Eodem vero jam mortuo, nova haec ejus moneta cum anno, ad quem non pervenerat, ſignata, ex officinis ne prodiret, minus caviſſe Romanos Magiſtratus, non facile, ut puto, quiſpiam admiſerit, qui maxime communi omnium in eum odio ipſius

Digitized by Google

ipſius necem contigiſſe noverit.

Porro nummus non exſtat, qui anni notam praeferat, quem Imperator, cujus eſt nummus, non attigerit, ſi Severi nummos excipias, ejus TR. POT. XIX. inſcriptos, quos ei die 4. Febr. TR. POT. XVIII. decurrente in Britannia defuncto, Senatus Romanus ſignavit, ſero de illius morte certior factus. Quod quidem exemplo etiam poterit obfirmari. Veſpaſianus in Aegypto ipſis Cal. Jul. anni Chriſti 69. Imperator ab exercitu ſalutatus, obiit Romae VIII. Cal. Jul. anni 79. hoc eſt, diebus ſex ante quam XI. Imperii annum delibare potuiſſet. Tunc etiam ejus nummos cum TR. P. XI. in officinis paratos eſſe potuiſſe, ut in populum die ipſius natali proximo ſpargerentur, quiſpiam fortaſſe conceſſerit; nemo tamen adhuc illos inſpexit, neque ulla eos inſpiciendi, ut puto, ſpes nobis eſt reliqua.

Quo fit, ut pro certo haberi debeat, hanc annorum anticipationem in nummis, quae temporum hiſtoriam turbaſſet admodum, apud Senatum Romanum

locum non habuiſſe, potuiſſeque tum nummos alios in promptu eſſe, qui quidem plurimi ſine certa temporis nota cuſi ad noſtra haec uſque tempora devenerunt. Ipſis vero primis diebus, quibus Imperator novum Imperii annum inchoaverat, nummos cum initi anni charactere conflari ſolitos fuiſſe, Domitiani & Antonini Pii nummi nos docent. Ille ſiquidem die 19. Sept. anni Chr. 96. interiit. In ipſius tamen nummis TR. P. XVI. legitur, quam die 13. ejusdem menſis inierat. Sic Antoninum, die 7. Martii A. C. 161. defunctum, cum TR. P. XXIV. a die 25. Febr. decurrente, nummi exhibent. In iis tamen neque ſacrificium, neque proceſſus Conſularis ullus viſitur, qui eos diebus aliquot ante natalem Imperii diem percuſſos fuiſſe deſignet. Cujus indices ſacrificia & proceſſus Conſulares vir Illuſtriſs. in nummis Elagabali fuiſſe obſervat.

Ad haec unum addam, in dubio poni amplius non poſſe, Elagabalum non die 16. Martii, ſed Maji, ut Dio memoriae prodidit, certisque, ut vidimus, characte-

racteribus indicavit, Imperio inauguratum fuiſſe. Quamobrem ſi alter Dionis locus, unde illius mors menſe Martio poſt annos tres, menſes novem, ac dies quatuor Imperii contigiſſe videtur, genuinus atque integer eſſet, hoc ſequi oporteret, ut nummi Elagabali, qui Tribuniciam Poteſtatem v. exhibent, non dies paucos, ſed tres fere menſes ante quam illam iniret, ſignati fuiſſent. Quod veriſimile eſſe, nemo ſane dixerit.

C A P. VIII.

Elagabalum prima ſui quarti Conſulatus die falſum eſt, ex ſententia Lampridii non proceſſiſſe. Ejus nummi cum quadrigis & literis TR. P. V. COS. IIII. cur ad primum ejusdem quarti Conſulatus proceſſum referri nequeant. Annorum Imperii & Conſulatuum Elagabali diagramma. Defectus nummorum illius cum epigraphe Tr. P. IIII. Cos. IIII. cauſam Pagii meliorem non facit. Aliorum Imperatorum ejusmodi Numismatum defectu probatur. Series annorum, quibus primum ſinguli Imperatores ab Auguſto ad Alexandrum Tribuniciam Poteſtatem & Conſulatus ſuſceperunt, & multiplicarunt. Pagius notatus.

Digitized by Google

Pag. 72. *Ut rem gratam auctori noſtro* (Valſechio) *faciam, ſponte mea illi conceſſerim, proceſſum hunc Conſularem in nummo ſignatum, non fuiſſe actum die ipſa prima Januarii menſis anni ejusdem* 222. ***Nam*** *Lampridius de ejus vita cap*. 15. *diſerte id tradit*.

VEereor admodum, ne **Pagii** cauſa non ita recte propugnetur. Nam ſi Lampridii verba, ejusque orationis ſenſum integrum ſpectemus, non tam facile concedere Valſechio poterimus, Elagabalum Cal. Januariis anni 222. Conſulem non proceſſiſſe. Quae enim Lampridius habet cap. 15. haec ſunt: *Denique Cal. Januariis quum ſimul tum deſignati eſſent Conſules, noluit cum conſobrino procedere. Ad extremum quum ei avia & mater dicerent; imminere milites ad ejus exitium, niſi concordiam viderent inter ſe conſobrinorum, ſumpta praetexta hora diei ſexta* PROCESSIT *ad Senatum*.

Igi-

Digitized by Google

Igitur ſero quamvis, ac ſine collega, ut mihi jam viſum fuit, proceſſit tamen: atque ideo quadrigas in nummo Elagabali a Senatu Romano exhibitas cum hoc titulo: P. M. TR. P. V. COS. IIII. quem Vaillantius recitat tom. 2. pag. 288. de Nummis aureis & argenteis, recte Pagius, ex ſui ipſius ſententia, ad proceſſum eumdem Conſularem referre poterat, ſi modo validius aliquid non eſſet, quod prohiberet, eamdemque ipſius ſententiam falſi evinceret.

Si Elagabalus Cal. Jan. anni 222. TR. P. V. COS. IIII. inſcribebatur, ut cenſuit Pagius, Cal. Jan. anni ſuperioris 221. TR. P. IIII. COS. III. & Cal. Jan. anni 220. qua die Cos. III. proceſſerat, TR. P. III. COS. III. inſcriptus fuiſſet, non vero TR. P. II. COS. III. ut in nummo cum ipſius congiario anno ſuperiori a me edito perſpicue legitur. Qui nummus Romae, uti jam indicavi, apud Monachos Carthuſianos integer exſtat, & incorruptus, ejusque characteres, ut viri Illuſtriſſimi verbis loquar, oculis explorare quisque poteſt, ſeque certiorem

rem reddere, an autographum exemplo a me producto reſpondeat. Alium huic nummi ſimilem Angelonius nobis dederat, in cujus explicatione quantum Bellorius alucinatus fuerit, ſatis nos patefecimus.

Quo poſito, ſi Cal. Januariis anni Chr. 220. Elagabalus dicebatur TR. P. II. COS. III. Cal. Jan. inſequentis anni 221. quo a Conſulatu abſtinuit, TR. P. III. COS. III. Cal. deinde Jan. anni 222. quo Conſulatum quartum cum Alexandro ſuſcepit, TR. P. IIII. COS. IV. dicendus fuit, ut ex ſubjecta ejus Imperii annorum ſerie magis patebit: non vero TR. P. V. COS. IIII. ſicuti in nummo Vaillantii legitur.

DIA-

Digitized by Google

DIAGRAMMA ANNORUM

Imperii, ſeu Tribuniciae Poteſtatis, & Conſulatus Elagabali.

An. Chr.	ex Cal. Jan.	ex xvii. Cal. Jun.
218.	———	Tr. P. Cos. *ex Cal. Jul.*
219.	Tr. P. Cos. II.	Tr. P. II. Cos. II.
220.	Tr. P. II. Cos. III.	Tr. P. III. Cos. III.
221.	Tr. P. III. Cos. III.	Tr. P. IIII. Cos. III.
222.	Tr. P. IIII. Cos. IIII.	Tr. P. V. Cos. IIII.

Qui nummus propterea quum ad priorem quarti Conſulatus Elagabali proceſſum referri nequeat, ad pompam proinde aliam poſt diem 15. Maji per eum celebratam ſpectare, nullus quidem dubito.

Quod vero nummus Elagabali, qui TR. P. IIII. COS. IIII. inſcribatur, nondum aliquis, quod ipſe ſciam, apparuerit: contra vero nummos ejusdem TR. P. V. COS. IIII. ſignatos plures habeamus, non ideo cum Pagio argui recte poſſe exiſtimo, Tribuniciam Poteſtatem V. tantum cum quarto ejus Conſulatu concurriſſe. Tot enim aliorum etiam Imperatorum nummi deſunt

ſunt, qui cum Conſulatu noviter inito Tribuniciam Poteſtatem, quae tum decurrebat, nobis praeferant, ut hoc ipſum, quod Pagius opinatus de Elagabalo fuit, fere de omnibus aliis Imperatoribus adſerere, atque adeo divinare oporteret. Ut res clarius pateat, Tabulam Chronologicam exhibeo, ab Auguſto uſque ad Alexandrum per Tribuniciae Poteſtatis annos & Conſulatus, meorum olim ſtudiorum cauſſa diſpoſitam: in qua nummi, quos nondum eruditi ea Tribuniciae Poteſtatis & Conſulatus nota ſignatos inſpexerunt, aſteriſco notantur.

DIA-

Digitized by Google

DIAGRAMMA ANNORUM

Quibus Auguſtus ceterique deinde Imperatores uſque ad Alexandrum Tribuniciam Poteſtatem & Conſulatum ſuſceperunt, & renovarunt.

AUGUSTUS.

An. V. C. a Paril.	Conſules.	Anni ante Chriſt.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a v. Cal. Jul.
731	Auguſto xi. & Piſone	23	———	Tr.P.Cos.xi.
732	Marcello & Arruntio	22	Tr.P.Cos.xi.	Tr.P.ii.Cos.xi.
733	Lollio & Lepido	21	Tr.P.ii.Cos.xi.	Tr.P.iii.
734	Apulejo & Nerva	20	Tr.P.iii.	Tr.P.iv.
735	Saturnino & Lucretio	19	Tr.P.iv.	Tr.P.v.
736	Lentulo & Lentulo	18	Tr.P.v.	Tr.P.vi.Cos.xi.
737	Furnio & Silano	17	Tr.P.vi.Cos.xi.	Tr.P.vii.
738	Ahenobarbo & Scipione	16	Tr.P.vii.	Tr.P.viii.Cos.xi.
739	Libone & Piſone	15	Tr.P.viii.Cos.xi.	Tr.P.ix.
740	Craſſo & Augure	14	Tr.P.ix.	Tr.P.x.
741	Nerone & Varo	13	Tr.P.x.	Tr.P.xi.Cos.xi.
742	Meſſalla & Quirino	12	Tr.P.xi.Cos.xi.	Tr.P.Cos.xi.Imp.x.
743	Tuberone & Maximo	11	Tr.P.Cos.xi.Imp.x.	Tr.P.xiii.Cos.xi.
744	Africano & Maximo	10	Tr.P.xiii.Cos.xi.	Tr.P.xiv.Cos.xi.
745	Druſo & Criſpino	9	Tr.P.xiv.Cos.xi.	Tr.P.xv.
740	Cenſorino & Gallo	8	Tr.P.xv.	Tr.P.xvi.Cos.xi.
747	Nerone ii. & Piſone	7	Tr.P.xvi.Cos.xi.	Tr.P.xvii.
748	Balbo & Vetere	6	Tr.P.xvii.	Tr.P.xviii.Cos.xi.
749	Auguſto xii. & Sulla	5	*Tr.P.xviii.Cos.xii.	Tr.P.xix.Cos.xii.
750	Sabino & Rufo	4	Tr.P.xix.Cos.xii.	Tr.P.xx.
751	Lentulo & Meſſallino	3	Tr.P.xx.	Tr.P.xxi.Cos.xii.
752	Auguſto xiii. & Silvano	2	*Tr.P.xxi.Cos.xiii.	Tr.P.xxii.Cos.xiii.
753	Lentulo & Piſone	1	Tr.P.xxii.Cos.xiii.	Tr.P.xxiii.Cos.xiii.
754	Caeſare & Paullo	Poſt Chr. 1	Tr.P.xxiii.Cos.xiii.	Tr.P.xxiv.Cos.xiii.
755	Vinicio & Varo	2	Tr.P.xxiv.Cos.xiii.	Tr.P.xxv.Cos.xiii.
756	Lamia & Servilio	3	Tr.P.xxv.Cos.xiii.	Tr.P.xxvi.Cos.xiii.
757	Catulo & Saturnino	4	Tr.P.xxvi.Cos.xiii.	Tr.P.xxvii.Cos:xiii.
758	Voluſo & Magno	5	Tr.P.xxvii.Cos.xiii.	Tr.P.xxviii.Cos.xiii.

Digitized by Google

759	Lepido & Arruntio	6	Tr.P.xxviii.Cos.xiii.	Tr.P.xxix.Cos.xiii.
760	Cretico & Nerva	7	Tr.P.xxix.Cos.xiii.	Tr.P.xxx.Cos.xiii.
761	Camillo & Quintiliano	8	Tr.P.xxx.Cos.xiii.	Tr.P.xxxi.Cos.xiii.
762	Camerino & Sabino	9	Tr.P.xxxi.Cos.xiii.	*Tr.P.xxxii.Cos.xiii.
763	Dolabella & Silano	10	*Tr.P.xxxii.Cos.xiii.	Tr.P.xxxiii.Cos.xiii.
764	Lepido & Tauro	11	Tr.P.xxxiii.Cos.xiii.	Tr.P.xxxiv.Cos.xiii.
765	Caeſare & Capitone	12	Tr.P.xxxiv.Cos.xiii.	Tr.P.xxxv.Cos.xiii.
766	Planco & Silio	13	Tr.P.xxxv.Cos.xiii.	Tr.P.xxxvi.Cos.xiii.
767	Duobus Sextis	14	Tr.P.xxxvi.Cos.xiii.	Tr.P.xxxvii.Cos.xiii.

Hoc anno XIV. *Cal. Septembr.*
Nolae obiit .

T I B E R I U S.

An.V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a v.Cal.Jul.
757	Catulo & Saturnino	4	————	Tr.P.vi.Cos.ii.
758	Voluſo & Magno	5	Tr.P.vi.Cos.ii.	Tr.P.vii.Cos.ii.
759	Lepido & Arruntio	6	Tr.P.vii.Cos.ii.	Tr.P.viii.Cos.ii.
760	Cretico & Nerva	7	Tr.P.viii.Cos.ii.	Tr.P.ix.Cos.ii.
761	Camillo & Quintiliano	8	Tr.P.ix.Cos.ii.	Tr.P.x.Cos.ii.
762	Camerino & Sabino	9	Tr.P.x.Cos.ii.	Tr.P.xi.Cos.ii.
763	Dolabella & Silano	10	Tr.P.xi.Cos.ii.	Tr.P.xii.Cos.ii.
764	Lepido & Tauro	11	Tr.P.xii.Cos.ii.	Tr.P.xiii.Cos.ii.
765	Caeſare & Capitone	12	Tr.P.xiii.Cos.ii.	Tr.P.xiv.Cos.ii.
766	Planco & Silio	13	Tr.P.xiv.Cos.ii.	Tr.P.xv.Cos.ii.
767	Duobus Sextis	14	Tr.P.xv.Cos.ii.	Tr.P.xvi.Cos.ii.
768	Druſo Caeſ. & Flacco	15	Tr.P.xvi.Cos.ii.	Tr.P.xvii.Cos.ii.
769	Tauro & Libone	16	Tr.P.xvii.Cos.ii.	Tr.P.xviii.Cos.ii.
770	Flacco & Rufo	17	Tr.P.xviii.Cos.Deſ.iii.	Tr.P.xix.Cos.ii.
771	Ti.Caeſ.III.& Germanico II.	18	Tr.P.xix.Cos.iii.	Tr.P.xx.Cos.iii.
772	Silano & Balbo	19	Tr.P.xx.Cos.iii.	Tr.P.xxi.Cos.iii.
773	Meſſalla & Cotta	20	Tr.P.xxi.Cos.iii.	Tr.P.xxii.Cos.iii.
774	Ti.Aug.IV.& Druſo Caeſ.II.	21	Tr.P.xxii.Cos.iv.	Tr.P.xxiii.Cos.iv.
775	Agrippa & Gallo	22	Tr.P.xxiii.Cos.iv.	Tr.P.xxiv.Cos.iv.
776	Pollione & Vetere	23	Tr.P.xxiv.Cos.iv.	Tr.P.xxv.Cos.iv.
777	Cethego & Varro	24	Tr.P.xxv.Cos.iv.	Tr.P.xxvi.Cos.iv.
778	Agrippa & Lentulo	25	Tr.P.xxvi.Cos.iv.	*Tr.P.xxvii.Cos.iv.
779	Getulico & Sabino	26	*Tr.P.xxvii.Cos.iv.	Tr.P.xxviii.Cos.iv.
780	Craſſo & Piſone	27	Tr.P.xxviii.Cos.iv.	*Tr.P.xxix.Cos.iv.

Digitized by Google

781	Silano & Nerva	28	*Tr.P.xxix.Cos.iv.	Tr.P.xxx.Cos.iv.
782	Duobus Geminis	29	Tr.P.xxx.Cos.iv.	Tr.P.xxxi.Cos.iv.
783	Longino & Vinicio	30	Tr.P.xxxi.Cos.iv.	Tr.P.xxxii.Cos.iv.
784	Tiberio Aug.v. & Sejano	31	Tr.P.xxxii.Cos.v.	Tr.P.xxxiii.Cos.v.
785	Ahenobarbo & Camillo	32	Tr.P.xxxiii.Cos.v.	Tr.P.xxxiv.Cos.v.
786	Galba & Sulla	33	Tr.P.xxxiv.Cos.v.	Tr.P.xxx.v.Cos.v.
787	Perſcio & Vitellio	34	Tr.P.xxxv.Cos.v.	Tr.P.xxxvi.Cos.v.
788	Gallo & Noniano	35	Tr.P.xxxvi.Cos.v.	Tr.P.xxxvii.Cos.v.
789	Allenio & Plautio	36	Tr.P.xxxvii.Cos.v.	Tr.P.xxxviii.Cos.v.
—	Proculo & Nigrino	37	Tr.P.xxxviii.Cos.v.	—

xvii. *Cal. April. moritur.*

C. CAESAR CALIGULA.

An.V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a xvii. Cal. Apr.
—	Proculo & Nigrino	37	—	Tr.P.
790	Juliano & Aſprenate	38	Tr.P.	Tr.P.ii.
791	C. Caeſ. Aug.ii. & Caeſiano	39	Tr.P.ii.Cos.ii.	Tr.P.iii.Cos.deſ.iii.
792	C.Caeſare Aug.iii *ſolo*	40	Tr.P.iii.Cos.iii.	Tr.P.iv.Cos.iii.
793	C.Caeſ.Aug.iv.&Saturnino	41	Tr.P.iv.Cos.iv.	—

ix. *Cal. Febr. occiditur.*

C L A U D I U S.

An.V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a ix. Cal.Febr.
—	C.Caeſ.Aug.iv.&Saturnino	41	—	Tr.P.Cos.deſ.ii.
794	Claudio Aug.ii. & Largo	42	Tr.P.Coſ.ii.	*Tr.P.ii.Cos.ii.
795	Claudio Aug.iii.& Vitellio	43	Tr.P.Coſ.iii.	Tr.P.iii.
796	Criſpino ii. & Tauro	44	Tr.P.iii.	Tr.P.iv.
797	Vinicio ii. & Corvino	45	Tr.P.iv.	*Tr.P.v.
798	Aſiatico ii. & Silano	46	Tr.P.v.	Tr.P.vi.
799	Cl.Aug.iv. & Vitellio iii.	47	*Tr.P.vi.Cos.iv.	Tr.P.vii.
800	Vitellio & Poplicola	48	Tr.P.vii.	*Tr.P.viii.
801	Veranio & Gallo	49	*Tr.P.viii.	Tr.P.ix.
802	Vetere & Nerviliano	50	Tr.P.ix.	Tr.P.x.
803	Claudio Aug.v. & Orfito	51	*Tr.P.x.Cos.v.	Tr.P.xi.Cos.v.

Digitized by Google

804	Sulla & Othone	52	Tr.P.xi.	Tr.P.xii.
805	Silano & Antonino	53	Tr.P.xii.	*Tr.P.xiii.
806	Marcello & Aviola	54	*Tr.P.xiii.	*Tr.P.xiv.

III. *Id. Octobr. moritur.*

N E R O.

An.V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a III. Id. Octob.
807	Marcello & Aviola	54	———	Tr.P.
808	Nerone Aug. & Vetere	55	Tr.P.	Tr.P.ii.
809	Saturnino & Scipione	56	Tr.P.ii.	*Tr.P.iii.
810	Nerone Aug.II. & Piſone	57	Tr.P.iii.Cos.ii.	Tr.P.iv.
811	Nerone Aug. III. & Meſſala	58	Tr.P.iv.	Tr.P.v.
812	Aproniano & Capitone	59	Tr.P.v.	*Tr.P.vi.
813	Nerone Aug. IV. & Lentulo	60	*Tr.P.vi.Cos.iv.	Tr.P.vii.Cos.iv.
814	Paeto & Turpiliano	61	Tr.P.vii.Cos.iv.	Tr.P.viii.Cos.iv.
815	Celſo & Gallo	62	Tr.P.viii.Cos.iv.	Tr.P.ix.Cos.
816	Regulo & Rufo	63	Tr.P.ix.Cos.	Tr.P.x.Cos.iv.
817	Baſſo & Craſſo	64	Tr.P.x.Cos.iv.	*Tr.P.xi.
818	Siliano & Attico	65	*Tr.P.xi.	*Tr.P.xii.
819	Teleſino & Paullino	66	*Tr.P.xii.	Tr.P.xiii.
820	Capitone & Rufo	67	Tr.P.xiii.	Tr.P.xiv.
821	Italico & Trachalo	68	Tr.P.xiv.	———

V. *Id. Jun. ſe ipſe interficit.*

G A L B A.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a V.Id. Jun.
821	Italico & Trachalo	68	———	Tr.P.
———	Galba Aug.II. & Rufino	69	Tr.P.Cos.ii.	———

XVIII. *Cal. Febr. occiditur.*

Digitized by Google

OTHO.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a xviii. Cal. Febr.
——	Galba Aug.ii. & Rufino	69	————	Tr.P.Cos.

Eodem anno xvi. *Cal. Majas occiditur.*

VITELLIUS.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. a Cal.Jan.	a xvi.Cal.Majas.
——	Galba Aug.ii. & Rufino	69	————	Tr.P.

Eodem anno xii. *Cal. Jan. occiditur.*

VESPASIANUS.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal.Jan.	a Cal. Jul.
822	Galba Aug.ii. & Rufino	69	————	Tr.P.Cos.
823	Veſpaſ. Aug.ii.& Tito Caeſ.	70	Tr.P.Cos.	Tr.P.ii.Cos.ii.
824	Veſpaſ.Aug.iii.& Nerva	71	Tr.P.ii.Cos.iii.	*Tr.P.iii.Cos.iii.
825	Veſpaſ. Aug.iv. & Tito Caeſ.ii.	72	Tr.P.Cos.iv.	Tr.P.iv.Cos.iv.
826	Domit.Caeſ.ii.& Meſſallino	73	Tr.P.iv.Cos.iv.	*Tr.P.v.Cos.iv.
827	Veſpaſ.Aug.v.& Tito Caeſ.iii.	74	Tr.P.Cos.v.	Tr.P.Cos.v.
828	Veſpaſ.Aug.vi. & Tito Caeſ.iv.	75	Tr.P.Cos.vi.	Tr.P.Cos.vi.
829	Veſpaſ.Aug.vii. & Tito Caeſ.v.	76	Tr.P.Cos.vii.	Tr.P.Cos.vii.
830	Veſp.Aug.viii. & Tito Caeſ.vi.	77	Tr.P.Cos.viii.	Tr.P.ix.Cos.viii.
831	Commodo & Priſco	78	Tr.P.ix.Cos.viii.	Tr.P.x. Cos.viii.
832	Veſp.Aug.ix.& Tito Caeſ.vii.	79	Tr.P.x.Cos.ix.	————

VIII. *Cal. Jul. moritur.*

Digitized by Google

T I T U S.

An. V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat.	
			a Cal. Jan.	a Cal. Jul.
824	Veſpaſiano Aug. III. & Nerva	71	————	Tr.P.
825	Veſpaſ. Aug. IV. & Tito Caeſ. II.	72	Tr.P.Cos.ii.	Tr.P.ii.Cos.ii.
826	Domitiano Caeſ. II. & Meſſallino	73	Tr.P.ii.Cos.ii.	*Tr.P.iii.Cos.ii.
827	Veſpaſ. Aug. V. & Tito Caeſ. III.	74	Tr.P.Cos.iii.	*Tr.P.iv.Cos.iii.
828	Veſpaſ. Aug. VI. & Tito Caeſ. IV.	75	Tr.P.Cos.iv.	*Tr.P.v.Cos.iv.
829	Veſpaſ. Aug. VII. & Tito Caeſ. V.	76	Tr.P.Cos.v.	*Tr.P.vi.Cos.v.
830	Veſpaſ. Aug. VIII. & Tito Caeſ. VI.	77	Tr.P.Cos.vi.	Tr.P.vii.
831	Commodo & Priſco	78	Tr.P.vii.	Tr.P.viii.Cos.vi.
832	Veſpaſ. Aug. IX. & Tito Caeſ. VII.	79	Tr.P.viii.Cos.vii.	Tr.P.ix.Cos.vii.
833	Tito Aug. VIII. & Dom. Caeſ. VII.	80	Tr.P.ix.Cos.viii.	*Tr.P.x.Cos.viii.
834	Silvano & Pollione	81	*Tr.P.x.Cos.viii.	*Tr.P.xi.Cos.viii.

Idibus Septembr. obiit.

D O M I T I A N U S.

An. V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat.	
			a Cal. Jan.	ab Id. Septembr.
834	Silvano & Pollione	81	————	Tr.P.Cos.vii.Deſ.viii.
835	Domitiano Aug. VIII. & Latino	82	Tr.P.Cos.viii.	Tr.P.ii. C.viii.Deſ.ix.
836	Domitiano Aug. ix. & Rufo II.	83	Tr.P.ii.Cos.ix.Des.x.	*Tr.P.iii.Cos.ix.
837	Domitiano Aug. x. & Sabino	84	Tr.P.iii.Cos.x.	*Tr.P.iv.Cos.x.
838	Domitiano Aug. XI. & Fulvo	85	Tr.P.iv.Cos.xi.	*Tr.P.v.Cos.xi.
839	Domit. Aug. XII. & Dolabella	86	Tr.P.v.Cos.xii.	*Tr.P.vi.Cos.xii.
840	Domit. Aug. XIII. & Saturnino	87	Tr.P.vi.Cos.xiii.	Tr.P.vii.Cos.xiii.
841	Domitiano Aug. XIV. & Rufo	88	Tr.P.vii.Cos.xiv.	Tr.P.viii.Cos.xiv.
842	Fulvo II. & Atratino	89	Tr.P.viii.Cos.xiv.	*Tr.P.ix.Cos.xiv.
843	Domitiano Aug. xv. & Nerva II.	90	*Tr.P.ix.Cos.xv.	Tr.P.x.Cos.xv.
844	Trajano & Glabrione	91	Tr.P.x.Cos.xv.	Tr.P.xi.Cos.xv.
845	Domit. Aug. XVI. & Saturnino II.	92	Tr.P.xi.Cos.xvi.	Tr.P.xii.Cos.xvi.
846	Pompejo & Priſco	93	Tr.P.xii.Cos.xvi.	Tr.P.xiii.Cos.xvi.
847	Aſprenate & Arricino	94	Tr.P.xiii.Cos.xvi.	Tr.P.xiv.Cos.xvi.
848	Domit. Aug. XVII. & Clemente	95	Tr.P.xiv.Cos.xvii.	Tr.P.xv.Cos.xvii.
849	Vetere & Valente	96	Tr.P.xv.Cos.xvii.	Tr.P.xvi.Cos.xvii.

XIV. *Cal. Octobr. interficitur.*

Digitized by Google

N E R V A.

An. V. C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a xiv. Cal. Octob.
849	Vetere & Valente	96	———	Tr.P.Cos.ii.Deſ.iii.
850	Nerva Aug.III. & Rufo III.	97	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.ii.Cos.iii.Deſ.iv
—	NervaAug.IV.& Trajano Caeſ.II.	98	Tr.P.ii.Cos.iv.	———

v. *Cal. Febr. occidit*.

T R A J A N U S.

An. V. C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	circa init. Novemb.
850	Nerva Aug.III.& Rufo III.	97	———	*Tr.P.Cos.
851	Nerva Aug.IV.& Trajano Cæſ.II	98	Tr.P.Cos.ii.	*Tr.P.ii.Cos.ii.
852	Senecione II. & Palma	99	Tr.P.Cos.ii.	*Tr.P.iii.Cos.ii.
853	Trajano Aug.III.& Frontino III.	100	Tr.P.iii.Cos.iii.	*Tr.P.iv.Cos.iii.
854	Trajano Aug.IV.& Paeto	101	Tr.P.iv.Cos.iv.	Tr.P.v.Cos.iv.
855	Senecione III. & Sura II.	102	Tr.P.Cos.iv.	Tr.P.vi.Cos.iv.
856	Surano II. & Marcello	103	Tr.P.Cos.iv.	Tr.P.vii.Cos.iv.Deſ.v
857	Trajano Aug.v.& Maximo II.	104	Tr.P.vii.Cos.v.	Tr.P.viii.Cos.v.
858	Candido II. & Quadrato II.	105	Tr.P.viii.Cos.v.	*Tr.P.ix.Cos.v.
859	Vero & Cereali	106	Tr.P.Cos.v.	*Tr.P.x.Cos.v.
860	Senecione IV. & Sura III.	107	Tr.P.Cos.v.	*Tr.P.xi.Cos.v.
861	Gallo & Bradua	108	Tr.P.Cos.v.	*Tr.P.xii.Cos.v.
862	Palma II. & Tullo II.	109	Tr.P.Cos.v.	*Tr.P.xiii.Cos.v.
863	Criſpino & Orfito	110	Tr.P.Cos.v.	Tr.P.xiv.Cos.v.
864	Piſone & Bolano	111	Tr.P.xiv.Cos.v.	Tr.P.Cos.v.Deſ.vi.
865	Trajano Aug.VI. & Africano	112	Tr.P.Cos.vi.	Tr.P.xvi.Cos.vi.
866	Celſo II. & Criſpino	113	Tr.P.xvi.Cos.vi.	*Tr.P.xvii.Cos.vi.
867	Haſta & Vopiſco	114	Tr.P.Cos.vi.	*Tr.P.xviii.Cos.vi.
868	Meſſalla & Pedone	115	Tr.P.Cos.vi.	*Tr.P.xix.Cos.vi.
869	Lamia & Vetere	116	Tr.P.Cos.vi.	Tr.P.xx.Cos.vi.
870	Nigro & Aproniano	117	Tr.P.xx.Cos.vi.	———

IV. *Id. Aug. moritur*.

Digitized by Google

HADRIANUS.

An. V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a IV. Id. Aug.
870	Nigro & Aproniano	117	———	Tr.P.Cos.
871	Hadriano Aug.II. & Salinatore	118	Tr.P.Cos.ii.	Tr P.Cos.ii.
872	Hadriano Aug.III. & Ruſtico	119	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
873	Severo & Fulvo	120	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
874	Vero & Augure	121	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
875	Aviola & Panſa	122	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
876	Paetino & Aproniano	123	Tr.P.Cos.iii.	Tr P.Cos.iii.
877	Glabrione & Torquato	124	Tr.P.Cos.iii.	Tr P.Cos.iii.
878	Aſiatico II. & Aquilino	125	Tr.P Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
879	Vero III. & Ambibulo	126	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
880	Gallicano & Titiano	127	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
881	Torquato & Libone	128	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos iii.
882	Celſo II. & Balbo	129	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
883	Catullino & Apro	130	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
884	Pontiano & Rufo	131	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
885	Augurino & Severiano	132	Tr.P.Cos iii.	Tr.P.Cos.iii.
886	Hibero & Silano	133	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
887	Serviano III. & Varo	134	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
888	Pontiano & Atiliano	135	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P Cos.iii.
889	Vero & Pompejano	136	Tr.P.Cos.iii.	Tr P.Cos.iii.
890	Vero Caeſ.II. & Balbino	137	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.
891	Camerino & Nigro	138	Tr.P.Cos.iii.	———

VI. *Id. Jul. deceſſit*.

AELIUS CAESAR.

An. V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a III. Id. Aug.
890	Vero Caeſ.II. & Balbino	137	———	Tr.P.Cos.ii.
——	Camerino & Nigro	138	Tr.P.Cos.ii.	———

Hoc anno ante diem XXV. *Febr. moritur*.

Digitized by Google

ANTONINUS PIUS.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a v.Cal.Mart.
——	Camerino & Nigro	138	————	Tr.P.Cos.Deſ.ii.
891	Antonino Aug.II. & Praeſente	139	Tr.P.Cos.ii.	Tr.P.ii.Cos.ii.
892	Anton.Aug.III.& Aurelio Caeſ.	140	Tr.P.Cos.iii.	Tr.P.iii.Cos.iii.
893	Syloga & Severo	141	Tr.P.iii.Cos.iii.	*Tr.P.iv.Cos.iii.
894	Rufino & Quadrato	142	*Tr.P.iv.Cos.iii.	*Tr.P.v.Cos.iii.
895	Torquato & Herode	143	*Tr.P.v.Cos.iii.	*Tr.P.vi.Cos.iii.
896	Avito & Maximo	144	*Tr.P.vi.Cos.iii.	Tr.P.Cos.iii.Deſ.iv.
897	Anton.Aug.IV. & Aurel.Caeſ.II.	145	Tr.P.Cos.iv.	Tr.P.viii.Cos.iv.
898	Claro & Severo	146	Tr.P.viii.Cos.iv.	Tr.P.ix.Cos.iv.
899	Largo & Meſſallino	147	Tr.P.ix.Cos.iv.	Tr.P.x.Cos.iv.
900	Torquato II. & Juliano	148	Tr.P.x.Cos.iv.	Tr.P.xi.Cos.iv.
901	Orfito & Priſco	149	Tr.P.xi.Cos.iv.	Tr.P.xii.Cos.iv.
902	Gallicano & Vetere	150	Tr.P.xii.Cos.iv.	Tr.P.xiii.Cos.iv.
903	Gordiano & Maximo	151	Tr.P.xiii.Cos.iv.	Tr.P.xiv.Cos.iv.
904	Glabrione & Omollo	152	Tr.P.xiv.Cos.iv.	Tr.P.xv.Cos.iv.
905	Praeſente & Rufino	153	Tr.P.xv.Cos.iv.	Tr.P.xvi.Cos.iv.
906	Commodo & Laterano	154	Tr.P.xvi.Cos.iv.	Tr.P.xvii.Cos.iv.
907	Severo & Sabiniano	155	Tr.P.xvii.Cos.iv.	Tr.P.xviii.Cos.iv.
908	Silvano & Augurino	156	Tr.P.xviii.Cos.iv.	Tr.P.xix.Cos.iv.
909	Barbaro & Regulo	157	Tr.P.xix.Cos.iv.	Tr.P.xx.Cos.iv.
910	Tertullo & Sacerdote	158	Tr.P.xx.Cos.iv.	Tr.P.xxi.Cos.iv.
911	Quintillo & Priſco	159	Tr.P.xxi.Cos.iv.	Tr.P.xxii.Cos.iv.
912	Varo & Bradua	160	Tr.P.xxii.Cos.iv.	Tr.P.xxiii.Cos.iv.
913	Aurel.Caeſ.III.& Commodo II.	161	Tr.P.xxiii.Cos.iv.	Tr.P.xxiv.Cos.iv.

Nonis Mart. moritur.

MARCUS.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a v. Cal. Mart.
899	Largo & Meſſallino	147	————	Tr.P.Cos.ii.
900	Torquato II. & Juliano	148	Tr.P.Cos.ii.	Tr.P.ii.Cos.ii.
901	Orfito & Priſco	149	Tr.P.ii.Cos.ii.	Tr.P.iii.Cos.ii.
902	Gallicano & Vetere	150	Tr.P.iii.Cos.ii.	Tr.P.iv.Cos.ii.

Digitized by Google

903	Gordiano & Maximo	151	Tr.P.iv.Cos.ii.	Tr.P.v.Cos.ii.
904	Glabrione & Omollo	152	Tr.P.v.Cos.ii.	Tr.P.vi.Cos.ii.
905	Praeſente & Rufino	153	Tr.P.vi.Cos.ii.	Tr.P.vii.Cos.ii.
906	Commodo & Laterano	154	Tr.P.vii.Cos.ii.	Tr.P.viii.Cos.ii.
907	Severo & Sabiniano	155	Tr.P.viii.Cos.ii.	Tr.P.ix.Cos.ii.
908	Silvano & Augurino	156	Tr.P.ix.Cos.ii.	Tr.P.x.Cos.ii.
909	Barbaro & Regulo	157	Tr.P.x.Cos.ii.	Tr.P.xi.Cos.ii.
910	Tertullo & Sacerdote	158	Tr.P.xi.Cos.ii.	Tr.P.xii.Cos.ii.
911	Quintillo & Priſco	159	Tr.P.xii.Cos.ii.	Tr.P.xiii.Cos.ii.
912	Varo & Bradua	160	Tr.P.xiii.Cos.ii.	Tr.P.xiv.C.ii.Deſ.iii.
913	Aurel.Caeſ.III. & Commodo II.	161	*Tr.P.xiv.Cos.iii.	Tr.P.xv.Cos.iii.
914	Ruſtico & Aquilino	162	Tr.P.xv.Cos.iii.	Tr.P.xvi.Cos.iii.
915	Aeliano & Paſtore	163	Tr.P.xvi.Cos.iii.	Tr.P.xvii.Cos.iii.
916	Macrino & Celſo	164	Tr.P.xvii.Cos.iii.	Tr.P.xviii.Cos.iii.
917	Pudente & Orfito	165	Tr.P.xviii.Cos.iii.	Tr.P.xix.Cos.iii.
918	Pudente & Pollione	166	Tr.P.xix.Cos.iii.	Tr.P.xx.Cos.iii.
919	Vero Aug.III. & Quadrato	167	Tr.P.xx.Cos.iii.	Tr.P.xxi.Cos.iii.
920	Montano & Paullo	168	Tr.P.xxi.Cos.iii.	Tr.P.xxii.Cos.iii.
921	Priſco & Apollinare	169	Tr.P.xxii.Cos.iii.	Tr.P.xxiii.Cos.iii.
922	Cethego & Claro	170	Tr.P.xxiii.Cos.iii.	Tr.P.xxiv.Cos.iii.
923	Severo II. & Herenniano	171	Tr.P.xxiv.Cos.iii.	Tr.P.xxv.Cos.iii.
924	Maximo & Orfito	172	Tr.P.xxv.Cos.iii.	Tr.P.xxvi.Cos.iii.
925	Severo II. & Pompejano	173	Tr.P.xxvi.Cos.iii.	Tr.P.xxvii.Cos.iii.
926	Gallo & Flacco	174	Tr.P.xxvii.Cos.iii.	Tr.P.xxviii.Cos.iii.
927	Piſone & Juliano	175	Tr.P.xxviii.Cos.iii.	Tr.P.xxix.Cos.iii.
928	Pollione II. & Apro II.	176	Tr.P.xxix.Cos.iii.	Tr.P.xxx.Cos.iii.
929	Commodo Caeſ. & Quintillo	177	Tr.P.xxx.Cos.iii.	Tr.P.xxxi.Cos.iii.
930	Ruſo & Orfito	178	Tr.P.xxxi.Cos.iii.	Tr.P.xxxii.Cos.iii.
931	Comm.Aug.II. & Vero Caeſ.II.	179	Tr.P.xxxii.Cos.iii.	Tr.P.xxxiii.Cos.iii.
932	Praeſente II. & Condiano	180	Tr.P.xxxiii.Cos.iii.	Tr.P.xxxiv.Cos.iii.

XVI. *Cal. April. moritur.*

L. VERUS.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat.	
			a Cal. Jan.	a Non. Mart.
913	Aurel.Caeſ.III.& Commodo II.	161	———	Tr.P.Cos.ii.
914	Ruſtico & Aquilino	162	Tr.P.Cos.ii.	Tr.P.ii.Cos.ii.
915	Aeliano & Paſtore	163	Tr.P.ii.Cos.ii.	Tr.P.iii.Cos.ii.
916	Macrino & Celſo	164	Tr.P.iii.Cos.ii.	Tr.P.iv.Cos.ii.

Digitized by Google

917	Pudente & Orſito	165	Tr.P.iv.Cos.ii.	Tr.P.v.Cos.ii.
918	Pudente II. & Pollione	166	Tr.P.v.Cos.ii.	Tr.P.vi.C.ii. Deſ.III.
919	Vero Aug.III. & Quadrato	167	*Tr.P.vi.Cos.iii.	Tr.P.vii.Cos.iii.
920	Montano & Paullo	168	Tr.P.vii.Cos.iii.	Tr.P.viii.Cos.iii.
921	Priſco & Apollinare	169	Tr.P.viii.Cos.iii.	Tr.P.ix.Cos.iii.

Sub finem Decemb. moritur.

COMMODUS.

An.V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	circa finem Aug.
928	Piſone & Juliano	175	———	Tr.P.
929	Pollione II. & Apro II.	176	Tr.P.	Tr.P.ii.
930	Commodo Caeſ. & Quintillo	177	Tr.P.ii.Cos.	Tr.P.iii.Cos.
931	Rufo & Orſito	178	Tr.P.iii.Cos.Deſ.ii.	Tr.P.iv.C.Deſ.ii.
932	Comm.Aug.II.& Vero Caeſ. II.	179	Tr.P.iv.Cos.ii.	Tr.P.v.Cos.ii.
933	Praeſente & Gordiano	180	Tr.P.v.Cos.Deſ.iii.	*Tr.P.vi.Cos.ii.
934	Commodo Aug.III.& Burro	181	Tr.P.vi.Cos.iii.	Tr.P.vii.Cos.iii.
935	Mamertino & Rufo	182	Tr.P.vii.Cos.Deſ.iv.	Tr.P.viii.Cos.iii.
936	Comm.Aug.IV. & Victorino II.	183	Tr.P.viii.Cos.iv.	Tr.P.ix.Cos.iv.
937	Marullo & Aeliano	184	Tr.P.ix.Cos.iv.	Tr.P.x.Cos.iv.
938	Materno & Bradua	185	Tr.P.x.Cos.Deſ.v.	*Tr.P.xi.Cos.iv.
939	Comm. Aug.v. & Glabrione II.	186	Tr.P.xi.Cos.v.	Tr.P.xii.Cos.v.
940	Criſpino & Aeliano	187	Tr.P.xii.Cos.v.	Tr.P.xiii.Cos.v.
941	Fuſciano II. & Silano II.	188	Tr.P.xiii.Cos.v.	Tr.P.xiii.Cos.v.
942	Silano & Silano	189	Tr.P.xiii.Cos.v.	Tr.P.xiv.Cos.v.
943	Comm. Aug. VI. & Septimiano	190	Tr.P.xiv.Cos.Deſ.vi.	Tr.P.xv.Cos.v.
944	Aproniano & Bradua	191	Tr.P.xvi.C.vi.Deſ.vii.	Tr.P.xvii.Cos.vi.
945	Commodo Aug.VII.& Pertinace	192	Tr.P.xvii.Cos.vii.	Tr.P.xviii.Cos.vii.

Prid. Cal. Jan. occiditur.

PERTINAX.

An.V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.
——	Falcone & Claro	193	Tr.P.Cos.ii.

Hoc eodem anno V. *Cal. April. occiditur.*

DID. JULIANUS.

An.V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat.	
			a Cal.Jan.	a v.Cal.April.
—	Falcone & Claro	193	———	Tr.P.Cos.ii.

Eodem anno Cal. Jun. occiditur.

SEPTIMIUS SEVERUS.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat.	
			a Cal.Jan.	ab Id.April.
—	Falcone & Claro	193	———	Tr.P.Cos.
946	Severo Aug.II. & Albino Caeſ.	194	Tr.P.Cos.ii.	Tr.P.ii.Cos.ii.
947	Tertullo & Clemente	195	Tr.P.ii.Cos.ii.	Tr.P.iii.Cos.ii.
948	Dextro II. & Priſco	196	Tr.P.iii.Cos.ii.	Tr.P.iv.Cos.ii.
949	Laterano & Rufino	197	Tr.P.iv.Cos.ii.	Tr.P.v.Cos.ii.
950	Saturnino & Gallo	198	Tr.P.v.Cos.ii.	Tr.P.vi.Cos.ii.
951	Anullino II. & Frontone	199	Tr.P.vi.Cos.ii.	Tr.P.vii.Cos.ii.
952	Severo & Victorino	200	Tr.P.vii.Cos.ii.	Tr.P.viii.Cos.ii.
953	Fabiano & Muciano	201	Tr.P.viii.Cos.ii.	Tr.P.ix.Cos.ii.
954	Severo Aug.III. & Anton. Aug.	202	*Tr.P.ix.Cos.iii.	Tr.P.x.Cos.iii.
955	Geta & Plautiano II.	203	Tr.P.x.Cos.iii.	Tr.P.xi.Cos.iii.
956	Cilone & Libone	204	Tr.P.xi.Cos.iii.	Tr.P.xii.Cos.iii.
957	Antonino Aug.II. & Geta Caeſ.	205	Tr.P.xii.Cos.iii.	Tr.P.xiii.Cos.iii.
958	Albino & Aemiliano	206	Tr.P.xiii.Cos.iii.	Tr.P.xiv.Cos.iii.
959	Apro & Maximo	207	Tr.P.xiv.Cos.iii.	Tr.P.xv.Cos.iii.
960	Anton.Aug.III. & Geta Caeſ.II.	208	Tr.P.xv.Cos.iii.	Tr.P.xvi.Cos.iii.
961	Pompejano & Avito	209	Tr.P.xvi.Cos.iii.	Tr.P.xvii.Cos.iii.
962	Fauſtino & Rufino	210	Tr.P.xvii.Cos.iii.	Tr.P.xviii.Cos.iii.
963	Gentiano & Baſſo	211	Tr.P.xviii Cos.iii.	Tr.P.xix.Cos.iii. *poſt ejus mortem.*

Prid. Non. Februarii in Britannia moritur.

Digitized by Google

ALBINUS.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	ante diem 19. Febr.
949	Laterano & Rufino	19	———	Tr.P.Cos.ii.
——	Saturnino & Gallo	198	Tr.P.ii.Cos.ii.	———

xi. *Cal. Martias occiditur.*

ANTONINUS Caracalla.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	ante diem 4. Apr.
950	Saturnino & Gallo	198	———	Tr.P.
951	Anullino ii. & Frontone	199	Tr.P.	Tr.P.ii.
952	Severo & Victorino	200	Tr.P.ii.	Tr.P.iii.
953	Fabiano & Muciano	201	Tr.P.iii.	Tr.P.iv.Cos.Deſ.
954	Severo Aug.iii. & Anton.Aug.	202	Tr.P.iv.Cos.	Tr.P.v.
955	Geta & Plautiano ii.	203	Tr.P.v.	Tr.P.vi.
956	Cilone & Libone	204	Tr.P.vi.	Tr.P.vii.
957	Antonino Aug.ii. & Geta Caeſ.	205	*Tr.P.vii.Cos.ii.	Tr.P.viii.Cos.ii.
958	Albino & Aemiliano	206	Tr.P.viii.	Tr.P.ix.
959	Apro & Maximo	207	Tr.P.ix.	Tr.P.x.Cos.ii.Deſ.iii.
960	Ant. Aug. iii. & Geta Caeſ. ii.	208	*Tr.P.x.Cos.iii.	Tr.P.xi.Cos.iii.
961	Pompejano & Avito	209	Tr.P.xi.Cos.iii.	Tr.P.xii.Cos.iii.
962	Fauſtino & Rufino	210	Tr.P.xii.Cos.iii.	Tr.P.xiii.Cos.iii.
963	Gentiano & Baſſo	211	Tr.P.xiii.Cos.iii.	Tr.P.xiv.Cos.iii.
964	Aſpro & Aſpro	212	Tr.P.xiv.Cos.iii.	Tr.P.xv.C.iii.Deſ.iv.
965	Antonino Aug.iv.&Balbiano ii.	213	*Tr.P.xv.Cos.iv.	Tr.P.xvi.Cos.iv.
966	Meſſalla & Sabino	214	Tr.P.xvi.Cos.iv.	Tr.P.xvii.Cos.iv.
967	Laeto ii. & Cereali	215	Tr.P.xvii.Cos.iv.	Tr.P.xviii.Cos.iv.
968	Sabino ii. & Anullino	216	Tr.P.xviii.Cos.iv.	Tr.P.xix.Cos.iv.
969	Praeſente & Extricato	217	Tr.P.xix.Cos.iv.	Tr.P.xx.Cos.iv.

vi. *Id. Aprilis occiditur.*

Digitized by Google

Hinc perperam Pagius cenſuit in Crit. Baron. ad ann. Chr. 198. num. VII. & IX. Antonino Caracallae poſt diem 13. Apr. ejusdem anni, quae Imperii Severi natalis fuerat, Trib. Pot. delatam fuiſſe. Falſum id eſſe, praeter veterem inſcriptionem, in qua ejus Trib. Pot. III. cum die IV. April. anni 200. jungitur, ipſius nummi Trib. Pot. XX. praeſeferentes manifeſte teſtantur. Haec ſiquidem VI. Id. April. anni 217. die illius emortuali, jam decurrebat. Quod fieri haud poterat, ſi poſt diem 13. ejusdem menſis ineunda ab eo fuiſſet.

Falſum praeterea nec minus eſt, ejus Trib. Pot. V. cum XI. Severi in inſcriptione Panthei copulatam eſſe, hancque Panvinium emendaſſe, ac tamquam X. nobis obtruſiſſe, ut poſt Card. Noriſium idem Pagius exiſtimavit. Quod potiſſimum cauſae fuit, ut viri iidem doctiſſimi de initio Tribuniciae Poteſtatis Caracallae varie ſenſerint. Ipſa enim inſcriptio, non uti apud eumdem Panvinium, Gruterum, aliosque manca ac depravata occurrit, ſed uti re vera exſtat, Severi Tr. Poteſt. X. non XI. exhibet, ut infra patet:

lin. 1 IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS PERTINAX. *Aug.* ARABICVS. ADIABENICVS PARTHICVS

MAX.

2 MAX. PONTIF. MAX. TRIB. POT*eſt*. X.
IM*p*. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET
3 IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS
FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PA
4 NTHEVM. VETVSTATE. CORRVPTVM. CVM
OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT

Unde patet, numerum x. Tribuniciae Poteſtatis, xi. vero tituli Imperatoris eſſe. Quapropter ſi Severus tempore ſuorum Decennalium Pantheum reſtituerit, ut opinatur Pagius, inde ſequeretur, eadem decennalia anno decimo decurrente celebrata ab eo fuiſſe, non autem exacto, uti ipſius Severi nummus apud Occonem demonſtrat, in cujus parte anteriori legitur: L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PERT. AVG. & in poſteriori: P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. VOT. SVSC. DEC.

G E T A.

An.V.C.	Conſules.	An. Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat.	
			a Cal. Jan.	ante diem 25. Febr.
960	Anton. Aug. III. & Geta Caeſ. II.	208	———	Tr.P.Cos.ii.
961	Pompejano & Avito	209	Tr.P.Cos.ii.	Tr.P.ii.Cos.ii.
962	Fauſtino & Rufino	210	Tr.P.ii.Cos.ii.	Tr.P.iii.Cos.ii.
963	Gentiano & Baſſo	211	Tr.P.iii.Cos.ii.	Tr.P.iv.Cos.ii.
964	Aſpro & Aſpro	212	Tr.P.iv.Co.ii.Deſ.iii.	———

V. Cal. Mart. ab Antonino Caracalla fratre occiditur.

Digitized by Google

MACRINUS.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a III. Id. April.
969	Praeſente & Extricato	217	———	Tr.P.Cos.
970	Macrino Aug.II. & Advento	218	Tr.P.Cos.ii.	Tr.P.ii.Cos.ii.

Menſe Junio interficitur.

ANTONINUS Elagabalus.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	a XVII. Cal. Jun.
971	Macrino Aug.II. & Advento	218	———	Tr.P.Cos.
972	Antonino Aug.II. & Sacerdote	219	Tr.P.Cos.ii.	Tr.P.ii.Cos.ii.
973	Anton.Aug.III. & Comazonte	220	Tr.P.ii.Cos.iii.	Tr.P.iii.Cos.iii.
974	Grato & Seleuco	221	Tr.P.iii.Cos.iii.	Tr.P.iv.Cos.iii.
975	Antonino Aug.IV.&Alex.Caeſ.	222	*Tr.P.iv.Cos.iv.	Tr.P.v.Cos.iv.

Poſt Id. Majas, & ante Cal. Jul. occiditur.

SEVERUS ALEXANDER.

An.V.C.	Conſules.	An.Chr.	Tribunic. Poteſt. & Conſulat. a Cal. Jan.	poſt Id.Maj.& ante Cal.Jul.
975	Antonino Aug.iv.& Alex.Caeſ.	222	———	Tr.P.Cos.
976	Maximo II. & Aeliano	223	Tr.P.Cos.	Tr.P.ii.Cos.
977	Juliano II. & Criſpino	224	Tr.P.ii.Cos.	Tr.P.iii.Cos.
978	Fuſco II. & Dextro	225	Tr.P.iii.Cos.	Tr.P.iv.Cos.
979	Alexandro Aug.II. & Marcello	226	Tr.P.iv.Cos.ii.	Tr.P.v.Cos.ii.
980	Albino & Maximo	227	Tr.P.v.Cos.ii.	Tr.P.vi.Cos.ii.
981	Modeſto & Probo	228	Tr.P.vi.Cos.ii.	Tr.P.vii.Cos.ii.
982	Alexandro Aug.III.& Dione II.	229	*Tr.P.vii.Cos.iii.	Tr.P.viii.Cos.iii.
983	Agricola & Clementino	230	Tr.P.viii.Cos.iii.	Tr.P.ix.Cos.iii.
984	Pompejano & Feliciano	231	Tr.P.ix.Cos.iii.	Tr.P.x.Cos.iii.
985	Lupo & Maximo	232	Tr.P.x.Cos.iii.	Tr.P.xi.Cos.iii.
986	Maximo II. & Paterno	233	Tr.P.xi.Cos.iii.	Tr.P.xii.Cos.iii.
987	Maximo III. & Urbano	234	Tr.P.xii.Cos.iii.	Tr.P.xiii.Cos.iii.
988	Severo & Quintiano	235	Tr.P.xiii.Cos.iii.	Tr.P.xiv.Cos.iii.

Poſt Cal. Jul. ac circa Autumnum occiditur.

CAP.

Digitized by Google

C A P. IX.

Pagii & Valſechii ſyſtemata non multum inter ſe diverſa. Elagabalus ex Cal. Juliis Conſulem cum Advento Macrini loco ſe inſcribere coepit. Dio explicatus. Vetuſtiſſimum Dionis fragmentum Vaticanum. Dio iterum explicatus. Mos Romani ſenatus Imperatorum annos in nummis numerandi. In omnibus nummis Elagabali annos Tribuniciae Poteſtatis & Conſulatus paribus numeris concurrere, falſum.

Pag. 75. *At ſi de anticipato Conſulatu dubitari nequit, cur etiam de anticipato Imperio conjectare non liceat?*

CAlendis Januariis anni Chr. 218. unde & Conſulatus & Tribuniciae Poteſtatis ſuique Imperii exordia Elagabalum cepiſſe, Pagius eſt arbitratus, penes Macrinum Imperii ſumma erat. Propterea ſi Cl. Valſechio opinari non licet, Elagabalum & Macrini Conſulatum & Imperii tempora occupaſſe, neque ſane nobis id conjectare licebit. Namque inter has utriusque

Digitized by Google

illorum ſententias diſpar tantum menſium aliquot numerus intereſt, qui ut mihi videtur, ſpectari minime debet, ita ut Pagio quinque Imperii menſes Macrino rapere licuerit, Valſechio vero quatuordecim non item. Ex quo liquido apparet, quantam inter ſe affinitatem habeant haec Pagii & Valſechii ſyſtemata: quorum unum ſtare certe nequit, quin alterum quoque corruat. Elagabalus, niſi me conjectura fallit, Macrino interfecto, ut ipſe etiam Imperii ſui initio Conſulis titulo ſalutaretur, noluit uſitato quorumdam aliorum Imperatorum more proximas poſt Imperium ſuſceptum Calendas Januarias exſpectare: ſed poſtquam tribus in literis ad Senatum populumque Romanum e Syria ſcriptis, annum ſolius Adventi nomine ſignaverat, una cum illo, inconſulto quamvis Senatu, Conſulem ex Cal. Jul. Macrini loco ſe inſcribere coepit. Quo factum eſt, ut non praeterita quidem, quae Macrini nomine jam ſignata fuere, ſed reliqua anni tempora non Macrini amplius, ſed

ſed ſuo & Adventi nomine ſignarentur. Quod ut conſequi quodammodo poſſet, Macrini nomine e Faſtis eraſo, ſuum in ejus locum ſubſtitui mandavit, perinde ac ſi Calendis Januariis jam elapſis annum cum Advento ordinarius & ipſe Conſul aperuiſſet.

Neque enim aliud verba Dionis deſignare poſſe putaverim: *Quod Conſulatus*, inquit pag. 909. *Macrini loco, qui jam ante geſtus erat, nomen ſuum ſubſtituit, quum nec Conſulatum a nobis accepiſſet, nec prorſus eum attigiſſet: quod initio tribus in literis annum indicavit per Adventi Conſulatum, quaſi qui ſolus eum geſſiſſet.* Quare jure ac merito ipſe Dio non Antonini Elagabali, ut vulgo faſti produnt, ſed *Macrini & Adventus* Conſulatum illum appellat: quemadmodum in Vaticano codice 1288. a Leunclavio edito, qui librorum ejus LXXVIII. & LXXIX. reliquias continet, diſerte legitur. Codex iſte de quo alibi forſan mentionem facturi etiam ſumus, membranaceus eſt, & grandioribus literis perpetuo ſcriptus: illumque Fulvius Urſi-

Digitized by Google

nus, cujus erat, tantae quidem antiquitatis eſſe cenſuit, ut ſibi fere ipſo Dionis aevo exaratus videretur. Ex columnis tribus ſingulae ipſius paginae conſtant: quae vero orae illius propiores ſunt, injuria hominum dimidiatae fuere, ſic, ut aſteriſci, qui in editione Leunclavii paſſim occurrunt, non verbum, vel unam, atque alteram lineam in codice deficere, ſed ut plurimum duas ſaltem columnas integras in eo deſiderari ſignificant. Atque adeo Leunclavius non ſemper defectus ejusmodi aſteriſco indicavit. Nam quandoque ut obſervatum a me eſt, duabus columnis mediis inter ſe remotiora jungit,

Sed ut eo revertar, unde digreſſus fueram, Elagabalus ut Imperator re vera eſſet, dicique ab omnibus poſſet, opus certe non erat, ut ſenatus Romanus in ſuis nummis ejus annos praeter ſolemnem ipſius morem non a prima ſuſcepti Imperii die, ſed a Calendis Januariis cum anno civili repeteret: modo ne Elagabalus ipſe, ut hoc etiam ſtultitiae ſuae ſpecimen

cimen ederet, paribus Conſulatus ac Tribuniciae Poteſtatis numeris in nummis monumentiſque aliis ornatum ſe eſſe geſtierit. A qua tamen levitatis nota nummus praeſertim cum ejus congiario & literis P. M. TR. P. II. COS. III. a me vulgatus, illum plane vindicat, falſumque eſſe demonſtrat, quod pag. proxima 76. vir Illuſtriſſimus docet: *In omnibus nummis Antonini Elagabali numerus annorum Tribuniciae Poteſtatis concurrit cum numero Conſulatuum.*

C A P. X.

Alexander ex ſententia Eutropii, Lampridii & Herodiani quandiu imperavit. Tabula Chronologica in hiſtorias Herodiani. Hic in annis Elagabali & Maximini emendatus. Mos ejus in annis Imperatorum numerandis. Alexander aeſtate anni Chr. 222. in montibus Armeniae: inde in Germaniam profectus, a Maximino circa finem aeſtatis occiditur. Lampridii locus expenditur. Alexander Magnus qua die mortuus. Dies mortis Severi Alexandri ex Lampridio certo coniici non poteſt. Neque illius dies natalis. Alexander Emeſa profectus. Alexianus antea vocatus. Ab Elagabalo Romae adoptatus & Alexander dictus. Cur ita cognominatus. Severi nomen non ei a militibus inditum.

Cur

Cur Antonini nomen reſpuerit? Theſauri Goltzii inſcriptio Graeca expenditur. Severus Alexander qua die natus. Quandiu vixerit. Mors Elagabali ultra Cal. Julias anni Chr. 222. non protrahenda. Anniae Fauſtinae nummus a Laodicenis percuſſus iterum explicatus. Annum quintum Imperii Elagabali firmari eodem non poſſe.

Pag. 77. *Verum cum haec ſcripſiſſem, prodiit in lucem Romae Joannis Vignolii diſſertatio*, DE ANNO I. IMPERII SEVERI ALEXANDRI.

UTinam vir Illuſtriſſimus diſſertationis ejusdem exemplum, quod anno ſuperiori, paucis poſt illius editionem diebus, ut obſequii mei ratio tulerat, ad eum mittere non praetermiſi, quammaturrime accepiſſet. Optaſſem enim, tantum ſibi ocii fuiſſet reliquum, ut ea etiam, quae de tempore mortis Alexandri & Maximini, quos ex Herodiano aeſtivo tempore necatos fuiſſe deprehendi, ad examen vocaret.

Nunc ſiquidem dubius animi haereo, ex eo ne coniici a me recte potuerit, ini-

Digitized by Google

initio aeſtatis, ſeu menſis Julii Elagabalum interfectum fuiſſe. Ut ita crederem, non unius quidem vetuſti ſcriptoris auctoritas fecerat: eorum ſcilicet, qui vel annos dumtaxat tredecim, vel dies inſuper octo, vel novem Alexandrum in Imperio vixiſſe tradunt. Victor enim Schotti de Caeſar. cap. 24. *Neque*, ait, *ultra annos tredecim Imperio functus, Rempublicam reliquit firmatam undique:* & Victor alter in epitome: *Severus Alexander imperavit annis tredecim*. Auctor vero libri de diviſionibus gentium, qui poſtremo ejusdem Alexandri anno opus ſuum clauſit: *Alexander*, ſcribit, *annis tredecim, diebus novem*. Haec eadem Lampridius in ejus vita cap. 60. ubi ait: *Imperavit annos* XIII. *dies* IX. ſive ut in codicibus Vaticanis 1900. & 1901. *dies octo*. Quibus Eutropius lib. 8. cap. 14. omnino conſentit. *Periit*, inquit, *in Gallia militari tumultu tertiodecimo Imperii anno, & die* VIII.

Hinc inde ſequi viſum eſt, ut quo anni tempore Alexander periit, eodem etiam Elagabalus trucidatus fuerit.

Quum

Quum inter utriusque illorum vitae terminos, annis tredecim ſubductis, dies non amplius octo, vel novem interceſſerint.

Neque ſane illius nummi, qui TR.P.XIV. notantur, eorumdem ſcriptorum auctoritati adverſari poſſent, anno nempe Tribuniciae Poteſtatis XIV. inito pro diebus eisdem octo, vel novem accepto.

Neque itidem Herodianus, qui etiam quatuordecim Imperii annos ei non ſemel tribuit, cum iis pugnaret. Quum Maximinus ad Alexandrum occidendum contenderet, *rurſus*, ait Herodianus lib. 6. cap. 6. *in planiciem egreſſus Alexander convocare milites, rogare, ut ſe defenderent, tuerenturque eum, quem ipſi educaviſſent: quoque jam quatuordecim annos imperante, ſine ulla querela vixiſſent*. Mox item: *Hunc finem habuit vitae Alexander una cum matre, quum annos quatuordecim ſine ulla ſubjectorum querela, atque adeo ſine ſanguine imperaſſet*. Initio vero lib. 7. *Qualem*, inquit, *vivendi rationem inſtituit Alexander, & quem vitae exitum habuit poſt quatuordecim anno-*

Digitized by Google

annorum imperium, *ſuperiore volumine expoſuimus*. Scriptores ii ſiquidem a die ſuſcepti Imperii: Herodianus vero, quemadmodum obſervo, a Calendis Januariis cum anno civili Imperatorum annos enumerat. Quod ex ſuppoſita Tabula, in qua ejus operis annos ipſos ſexaginta cum annis, quos ſingulis Imperatoribus adſignat, ordine chronologico contulimus, planum fiet.

TABULA CHRONOLOGICA
In Hiſtoriam Herodiani.

Anni V.C.	Conſules.	Anni Chr.	Anni Imperator. collecti.	Anni Imperat. expanſi, a Cal. Jan.	Anni LX. Hiſt. Herodiani.
932	Praeſente & Condiano	180	Commodus	Commodi 1	1
933	Commodo Aug. III. & Burro	181	imperav. poſt	2	2
934	Mamertino & Rufo	182	Marcum an.	3	3
935	Comm. Aug. IV. & Victorino II.	183	13.	4	4
936	Marullo & Aeliano	184		5	5
937	Materno & Bradua	185		6	6
938	Comm. Aug. V. & Glabrione II.	186		7	7
939	Criſpino & Aeliano	187		8	8
940	Fuſciano II. & Silano II.	188		9	9
941	Silano & Silano	189		10	10
942	Comm. Aug. VI. & Septimiano	190		11	11
943	Aproniano & Bradua	191		12	12
944	Commodo Aug. VII. & Pertinace	192		13	13
945	Falcone & Claro	193	Severus	Severi 1	14
946	Severo Aug. II. & Albino Caeſ.	194	poſt Pertina-	2	15
947	Tertullo & Clemente	195	cem, & Did.	3	16
948	Dextro II. & Priſco	196	Julianum	4	17
949	Laterano & Rufino	197	ann. 18.	5	18

Digitized by Google

950	Saturnino & Gallo	198			6	19
951	Anullino II. & Frontone	199			7	20
952	Severo & Victorino	200			8	21
953	Fabiano & Muciano	201			9	22
954	Severo Aug. III. & Anton. Aug.	202			10	23
955	Geta & Plautiano II.	203			11	24
956	Cilone & Libone	204			12	25
957	Antonino Aug. II. & Geta Caeſ.	205			13	26
958	Albino & Aemiliano	206			14	27
959	Apro & Maximo	207			15	28
960	Anton. Aug. III. & Geta Caeſ. II.	208			16	29
961	Pompejano & Avito	209			17	30
962	Fauſtino & Rufino	210			18	31
963	Gentiano & Baſſo	211	ANTONINUS	ANTONINI	1	32
964	Aſpro & Aſpro	212	Caracalla	Caracallæ	2	33
965	Antonino Aug. IV. & Balbino II.	213	poſt Severum		3	34
966	Meſſalla & Sabino	214	ann. 6.		4	35
967	Laeto II. & Cereali	215			5	36
968	Sabino II. & Anullino	216			6	37
969	Praeſente & Extricato	217	MACRIN. a. 1.	MACRINI	1	38
970	Macrino Aug. II. & Advento	218	ELAGABALUS	ELAGABALI	1	39
971	Antonino Aug. II. & Sacerdote	219	ann. 6. *leg.* 4.		2	40
972	Anton. Aug. III. & Comazonte	220			3	41
973	Grato & Seleuco	221			4	42
974	Antonino Aug. IV. & Alex. Caeſ.	222	ALEXANDER	ALEXAND.	1	43
975	Maximo II. & Aeliano	223	ann. 14.		2	44
976	Juliano II. & Criſpino	224			3	45
977	Fuſco II. & Dextro	225			4	46
978	Alexandro Aug. II. & Marcello	226			5	47
979	Albino & Maximo	227			6	48
980	Modeſto & Probo	228			7	49
981	Alexandro Aug. III. & Dione II.	229			8	50
982	Agricola & Clementino	230			9	51
983	Pompejano & Feliciano	231			10	52
984	Lupo & Maximo	232			11	53
985	Maximo II. & Paterno	233			12	54
986	Maximo III. & Urbano	234			13	55
987	Severo & Quintiano	235			14	56
988	Maximino Aug. & Africano	236	MAXIMINUS	MAXIMINI	1	57
989	Perpetuo & Corneliano	237			2	58
990	Crinito & Pontiano	238			3	59
991	Gordiano Aug. & Aviola	239	GORDIANUS	GORDIANI	1	60

Porro

Porro Herodianum Imperatorum annos per annos Julianos ita putaſſe, vel ipſe ibidem confirmat cap. 6. Ibi enim narrat, Alexandrum anno tertiodecimo Imperii jam exacto, & decimoquarto inchoato in Meſopotamiam adverſus Artaxerſem regem Perſarum, qui in Romani Imperii fines impetum fecerat, caſtra moviſſe, & cum eo graviter inde pugnaſſe: poſt pugnam vero Antiochiam ſe recepiſſe, ibique aliquandiu commoratum, in Germaniam contendiſſe, ubi tandem Maximini opera tumultu militari facto vitam amiſit. Quae, is licet feſtinato itinere ab urbe Antiochiam, indeque in Germaniam ſe contuliſſet, numquam tamen intra dies octo, vel novem, quos poſt integros Imperii ſui annos tredecim a prima ſuſcepti principatus die imperaſſe ille dicitur, contingere, atque effici poterant.

Ejus vero Tabulae hic etiam fructus erit, ut cum Herodiano Herodianum ipſum emendare non temere poſſimus: proque certo habeamus, non in

Digitized by Google

ſextum, ut in omnibus ejus exemplaribus prave legitur, ſed in quartum annum Imperium ab Elagabalo productum ſcripſiſſe illum. Etenim annus Julianus 235. ut decimus quartus Alexandri dici ab eo poſſit, neceſſe eſt, ut annum 222. quo Elagabalus interiit, tamquam illius primum numeraverit: proindeque annos nonniſi quatuor adſignare Elagabalo potuerit, puta 218. quo Imperium ante Cal. Julias occupavit, 219. 220. & 221.

Quo inde fit, ut conjecturae & emendationes utriusque noſtrum neque verae, neque falſae omnino ſint. Quod ego ſcilicet *quintum* Imperii Elagabali annum jam initum, vir Illuſtriſſimus vero *quartum*, illumque non plenum, Herodianum cum Dione adnotaſſe putaverit.

Neque tamen, quod Herodianus annos tantum quatuor Elagabalum Imperio potitum fuiſſe ſcripſerit, eſt quod idcirco impediat, quominus quintum ille inire potuerit in nummis ſignatum. Siquidem Antonino etiam Caracallae, qui ſeptimum Imperii annum libaverat, annos

nos ſex tantum, & Macrino, qui alterum quoque annum attigerat, annum dumtaxat unum adſignat, Julianum ſcilicet 217. quo Antonino Caracallae ante Cal. itidem Julias in Imperio ſucceſſerat.

Emendatur etiam ipſe, ut hoc tantum innuam, in Maximino cap. 4. ubi legitur, Afros ab eo defeciſſe, & Gordianum provinciae illius proconſulem Imperatorem pronunciaſſe (συμπληρουμένης αὐτῷ τριετοῦς) *exacto Imperii triennio*. Quae enim poſtea ſubſequuta fuere, ejus nempe ex Pannonia in Italiam profectio, ac diuturna Aquilejae oppugnatio non τριετοῦς *triennio*, ſed διετοῦς *biennio*, hoc eſt annis Julianis 236. & 237. ibi legendum eſſe omnino ſuadent, anno 235. non computato, quem ut vidimus, tamquam decimumquartum Alexandri poſt Cal. Julias interfecti jam numeraverat.

Hinc igitur, quoniam rei nobis inſtitutae veritatem tantummodo inveſtigandam ſuſcepimus, non eſt, quod pudere me debeat, ſi Eutropii aliorumque veterum ſcriptorum teſtimonia, quae ſupra

recen-

recenſui, & quorum auctoritate conjectura ea noſtra de tempore mortis Elagabali & Alexandri nitebatur, in ejusdem Alexandri Imperii ſpatio definiendo minus veridica comperta a me eſſe certiori quidem Herodiani teſtimonio nunc ſponte oſtendam.

Aeſtate anni Chr. 235. Alexandrum per montes Armeniae exercitum ducentem Herodianus exhibet lib. 6. cap. 13. *Sed hoc*, inquit, *Alexandri conſilium, etſi longe optimmum prima ſpecie videbatur, ſtatim tamen fortuna deſtituit: ſiquidem exercitus contendere per Armeniam juſſus, vix aegreque ſuperatis ejus regionis aſperrimis praeruptiſſimisque montibus, quamquam* AESTAS *tolerabilius iter faciebat, impetu in Mediam facto; vicos concremavit, praedamque abegit.*

Bello hoc inde Perſico abſoluto Antiochiam rediiſſe eum narrat, ubi *ſtatim*, inquit, *nuncii literaeque ab Illyricis procuratoribus adfuerunt, qui eum vehementer perturbarent, curamque animo majorem inicerent. Quippe ſignificabant Germanos Rhenum Danubiumque tranſgreſſos, Romanos in fines*

Digitized by Google

ſines hoſtiliter intraſſe, oppugnareque jam exercitus ripis inſidentes, perque vrbes & vicos magnis copiis excurrere. Quare adverſus Germanos eum progredi Antiochia opus fuit: *Relictis autem copiis*, ſubdit, *quantas fore ſatis tuendis Romanis ripis arbitrabatur, caſtriſque & caſtellis diligentius communitis ac praeſidio firmatis, ipſe adverſus Germanos cum reliqua omni multitudine approperabat: confectoque celeriter itinere, conſtitit ad Rheni ripas, atque ibi res ad bellum Germanicum neceſſarias comparabat*. Quo fit, ut Alexander etiamſi aeſtatis initio in montibus Armeniae dicatur fuiſſe, neque tamen ante initium Septemb. in Germania interfici a Maximino potuerit: praeſertim quum non ſtatim, atque illuc pervenerat, ſed poſt dies plurimos mortem ipſius eveniſſe Herodianus referat: *Ceterum*, ait, *miles Romanus iniquo animo ferebat, fruſtra ſe tempus terere, nulla occaſione fortiter quicquam animoſeque gerendi, intento aurigationibus (ut ajebant) ac deliciis Alexandro*.

Hoc ipſum vero, ex die Alexandri natali, quem Lampridius tradit, atque ex tem-

temporis ſpatio, quo hic vixiſſe eum ſcribit, argui etiam poſſe numquam putaverim. *Alexandri nomen accepit*, ait Lampridius cap. 5. *quod in templo dicato apud Arcenam urbem Alexandro Magno natus eſſet, quum caſu illuc die feſto Alexandri pater cum uxore patriae ſolemnitatis implendae cauſſa veniſſet. Cui rei argumentum eſt, quod eadem die natalem habet hic Mammaeae Alexander, quo ille Magnus exceſſit e vita.*

Iis omiſſis, quae Iſaacus Caſaubonus de incerto die mortis Alexandri Magni ad hunc locum obſervat, ex diariis tamen regiis & Ariſtobulo apud Plutarch. in ejus vita, & apud Arrian. lib. 7. de illius expedit. die viceſima octava, vel triceſima menſis Daeſii, quae ex ephemeride anni Macedonici apud Uſſerium diebus 22. & 24. Maji reſpondent, illum ſub veſperam exſpiraſſe comperimus.

Quare ſi alterutro ex iis diebus Lampridii ſententia Severus Alexander natus eſſet, die 29. vel 31. menſis Auguſti mors ejusdem accidiſſet; quum eum tradat annos XXIX. menſes III. dies VII. vixiſſe. Etſi

Etſi vero ejus mortem non multo poſt contigiſſe ex Herodiano colligimus, nihilominus iſtud ex Lampridio ſtatui certo poſſe non video. Quem quidem in illius mortis die adſignando a vero longe aberraſſe, plura, quibus commentum illud ſuum intermiſcet, aperte falſa declarant.

I. In urbe Arcena, quam Stephanus & Ptolemaeus Ἄρκην *Arcam* appellant, natum Alexandrum ait. De quo nec Dio, neque Herodianus uſquam mentionem aliquam fecere. Uterque vero Emiſenum illum agnoſcunt, uti quoque ejus matrem, atque aviam. Herodianus templi Solis, quod Emeſae celebre admodum erat: eum ſacerdotem cum Elagabalo affirmat, Dio itidem ab eadem urbe prodiiſſe diſerte ſcribit pag. 915. ubi Elagabalo praedictum fuiſſe narrat, *Alexandrum, qui eſſet Emeſa profectus, ipſi ſucceſſurum*.

II. Alexandrum ita nuncupatum ait, quod in templo Alexandro Magno dicato illum mater Mammaea peperit. Antea vero, quam ab Elagabalo adoptaretur,

O Ale-

Alexianum, non Alexandrum dictum fuiſſe, Herodianus teſtis eſt locupletiſſimus lib. 5. cap. 3. *Erant vero ei*, ſcilicet Maeſae, *filiae duae, quarum natu major, Soaemis, minor Mammaea vocabatur. Illi filius Baſſianus*, hoc eſt Elagabalus, *huic Alexianus*, nempe Alexander: *amboque ſub matribus aviaque educabantur. Et quidem Baſſianus annos natus erat circiter quatuordecim: Alexianus autem decimum jam annum attigerat*.

Romae poſtea ab Elagabalo ſuae adoptionis die Alexandri nomen accepiſſe, a Dione etiam exponitur pag. 914. *Baſſianum*, inquit, ſive *Alexianum*, ut Herodianus habet, *conſobrinum ſuum introduxit in Senatum: quumque utrimque Maeſam & Soaemidem ſtitiſſet, puerum adoptavit*: paucis deinde interpoſitis: *nec id ſolum ut faceret, praeceptum ſibi eſſe ab Heliogabalo, ſed etiam, ut eum Alexandrum nominaret*. Herodianus item cap. 7. ubi Alexiani nomen avitum ejus nomen fuiſſe dicit, cur ei Elagabalus Alexandri nomen indiderit, cauſſam etiam explicat: *Is erat*, inquit, *Ale-*

Digitized by Google

Alexianus, qui tum nuncupabatur Alexander, avito ipſo nomine in Macedonis regis nomen commutato. Nam eum regem fama per ſe celebrem, etiam magnopere coluerat Antoninus Severi filius: quem fuiſſe amborum parentem perſuadere anus conabatur, jactato filiarum inceſto, quo illi magis magisque a militibus diligerentur. Quapropter ex Dione & Herodiano Alexander non ita cognominatus, quod in templo Alexandri Magni apud Arcenam, nec quod ea die natus ibi fuerit, qua rex ille mortem obiit.

Antequam vero de natali die Alexandri, deque illius vitae ſpatio Lampridium falſa non minus enarraſſe magis magisque demonſtro, liceat mihi nonnulla expendere, quae de altero hujus Imperatoris nomine, Severi ſcilicet, is non magis vera refert. Quod enim ille in memoriam Septimii Severi avi ſui ſumpſiſſe credi ac dici omnino debet, a militibus ob ejus ſeveritatem inditum ei fuiſſe narrat cap. 12. *Sed quamvis*, inquit, *Senatu rogante non potuerit perſuaderi, ut vel Antonini, vel Magni nomina ſuſciperet; tamen ob*

 ingen-

Digitized by Google

ingentem vigorem animi, & mirandam ſingularemque conſtantiam contra militum inſolentiam SEVERI *nomen a militibus ei inditum eſt*. Victor de more dorice cum eo concinit cap. 24. de Caeſar. *Nam quum tantae*, ait, *ſeveritatis vim milites inhorreſcunt* (*unde etiam* SEVERI *cognomentum acceſſerat*) *agentem caſu cum paucis vico Britanniae, cui vocabulum Sicila, trucidavere*. Quod non modo non verum, ſed ne veriſimile quidem eſſe, ita oſtendam.

I. Quod jam inde ab initio ſui Imperii SEVERVS dicebatur, ut ex nummis apparet. Nec video (quicquid poſtea progreſſu temporis evenerit) Imperator iſte, qui decimumquartum aetatis annum agebat, mitis alioqui manſuetique ingenii puer, quod ſeveritatis ſpecimen potuerit in milites edere: quorum praeſertim amore ac benevolentia factum fuerat, ut ab inſidiis, quas ejus vitae Elagabalus ſtruere conabatur, paullo ante ſervaretur. *Propenſiores animos*, ait Herodianus lib. 5. cap. 8. *in Alexandrum habebant* (milites) *ſpemque meliorem in puero modeſte &*

con-

Digitized by Google

continenter educato, ſervabantque eum diligenter omnes ab inſidiis Antonini.

II. Si milites, ut ei ſeveritatem exprobrarent, ita illum appellaſſent, jam quamdam contumeliae notam nomen ejusmodi praeſetuliſſet: indeque non ſecus ac nomen Caligulae, Caracallae, & Elagabali locum in nummis aliisque publicis monumentis nullum haberet.

III. Alexandri nomini additum, ſeu poſtpoſitum eſſet: non vero ut agnomen ad illius agnationem denotandam nomini eidem praeponeretur. *Severus* enim *Alexander*, non *Alexander Severus* dicitur, quemadmodum Trajanus a Nerva adoptatus, Nerva Trajanus eſt dictus, Hadrianus a Trajano, Trajanus Hadrianus, & Antoninus Pius ab Hadriano, Hadrianus Antoninus.

Sicuti ergo hi omnes ſe adoptantium nomina ſibi de more impoſuerunt, ita Alexander, ut e familia Septimii Severi prognatus, voluit etiam illius nomen adſumere. Cur namque Antonini nomen reſpuerit, quod Caracallae patri &

Ela-

Digitized by Google

Elagabalo ipſius conſobrino & jure adoptionis itidem patri commune fuerat, jam ipſe in acclamationibus Senatus apud eumdem Lampridium exponit. Nam etſi re vera credi poteſt, Elagabali potius cauſſa Antonini nomen recuſaſſe, quod flagitiis ille ſuis enormiter dehoneſtaverat, cauſſatus tamen fuit, ſe potiſſimum ab eo nomine abſtinere, quod eo non ſolum Antoninus Caracalla & Antoninus Elagabalus, ſed ipſe in primis Antoninus Pius intelligeretur, cum quo nulla ſibi affinitas eſſet: *Neque ego*, inquit, *P. C. idcirco timeo iſtud venerabile omnibus nomen accipere, quod verear, ne in haec vitia* (Elagabali ſcilicet) *delabatur vita, aut quod nominis pudeat: ſed primum diſplicet alienae familiae nomen adſumere*.

Mihi propterea videtur, ut aliquam Caracallae ſui patris in novo ſibi nomine de more imponendo, nullam vero Elagabali rationem haberet, Severi nomine adſumpto, Antonini nomen refutaſſe. Quod poſt ſui quidem inaugurationem evenit, non vero antea, uti perperam

ram Graeca illa, quae in Theſauro Goltzii legitur, inſcriptio deſignat: Μ. ΑΥΡ. CЄΟΥΗΡ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟC ΚΑΙC. *M. Aur. Sever. Alexander Caeſ.* Hujusmodi enim inſcriptionem vel ipſimet Goltzio ſuſpectae fidei fuiſſe, ex eo apparet, quod e nummis ne illam, an e lapidibus acceperit, ut in aliis inſcriptionibus facere perpetuo ſolet, non indicat. Ac niſi conjectura me fallit, ea recens eſt, atque, uti tot aliae, ab Occone excogitata, a quo Goltzius mutuatus illam fuit. Is enim, ut obſervari poterit, Latinis aliquot ejusdem Alexandri Caeſaris nummis recitatis, Latinum anterioris partis illorum titulum Graecum fecit, inſolens ibi SEVERI nomen additum, quod in nummis eisdem Latinis non legitur, minime animadvertens. Quod inſuper nummus noſter Aegyptius, quem delineatum attulimus pag. 57. prioris noſtrae diſſertationis, ſatis evincit. In eo ſiquidem Alexander Caeſaris tantum, necdum Auguſti titulo inſignitus viſitur, & inſcribitur ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΛЄ ΞΑΝΔΡΟC. ΚΑΙCΑΡ.

M.

M. Aur. Alexander Caeſar, Severi nominis, ut patet, omnino expers.

Sed ut in viam redeam, quum probatiora teſtimonia habeamus, quae nos Alexandri diem natalem certiſſime doceant, haudquaquam videtur, ad ejusmodi Lampridii narrationem ita incertam ac tot mendis adſperſam confugiendum. Catalogus quippe natalium Caeſarum exſtat apud Aegidium Bucherium in Commentar. de doctr. Temp. pag. 276. & vetus Calendarium apud Carolum a Neapoli in Faſt. Ovid. in princ. apud Petrum Lambecium tom. 4. biblioth. Caeſar. pag. 285. & apud alios: in quibus omnibus *Natalis Alexandri* ipſis Calendis Octobribus notatur.

Quo non ſolum docemur, qua die natus Alexander, ſed etiam, quam ſit a vero alienum, annos XXIX. menſes III. ac dies VII. eum vixiſſe, ut ait Lampridius. Etenim ſi cum iisdem menſibus tribus, diebusque ſeptem, quos ultra annos novem ac viginti vixiſſe affirmat, a Calendis Octobribus, quibus eſt natus, ultra

ultra procedamus, in diem 7. Ianuarii anni inſequentis 236. incidimus, qua die Maximinum cum Africano Conſulem faſti omnes conſignant: maxime vero vetus Romanorum Pontificum Catalogus apud eumdem Bucherium pag. 271. in quo legitur: *Anteros menſe uno, diebus decem. Dormit* III. *Non. Januarias Maximo* (Maximino) *& Africano Conſulibus.*

Mendum tamen aliquod a librariis profectum in hunc Lampridii locum eſſe, mſs. ejus codices Vaticani demonſtrant, nempe 1897. 1898. & 1902: in quibus annos XXXIX. codex item 1900. in quo annos XXI. diem I. & codex 1901. in quo annos XXI. dies IX. Alexander vixiſſe dicitur. Omnes tamen mendoſi. Nam quum Herodianus tradat, Alexandrum menſe Majo anni Chr. 218. quo milites Elagabalum Imperatorem dixerunt, annum decimum attigiſſe, ſi huic quatuor addamus, quos Elagabalus, ac tredecim alios, quos ipſe imperavit, ad ejus aetatis annum XXVII. nondum exactum deve-

niemus, Chriſti vero 235. quod certius illius vitae ſpatium dici debet. Idque Eutropius confirmat lib. 10. Breviar. Rer. Roman. cap. 13. ubi occiſum fuiſſe refert anno vitae viceſimo ſexto, menſibus reliquis praeteritis. Quae Paeanii metaphraſis Graeca non habet.

Neque igitur ex natali die Alexandri, neque ex vitae ſpatio, quod varie definiunt hiſtorici, certa ejus Imperii aetas innoteſcere poteſt.

Ex infimi aevi ſcriptoribus unus tantummndo, quod ſciam, Michael Glycas eſt, qui Alexandrum annos XIII. ac menſes VIII. imperaſſe ſcripſerit: quem quidem numerum dies potius ab Eutropio traditos, quam menſes denotare non dubito.

Itaque ex Herodiano id certo conſequi poſſumus, Alexandrum uſque ſaltem ad aeſtatem jam adultam anni Chriſti 235. vitam & Imperium potraxiſſe: Elagabalum vero ante, non vero poſt Cal. Jul. anni 222. uti putaveram, obtruncatum fuiſſe: quum Hiſtoricus iſte, qui, ut ipſius

Digitized by Google

ipſius hiſtoriae Tabula Chronologica manifeſtum fecimus, annum, quo Imperator aliquis ante Cal. eaſdem obiit, ſucceſſori tribuere ſolet, annum 222. quo Elagabalus occiſus fuit, uti primum Alexandri enumeret. Ejus vero necem poſt Idus Majas ejusdem anni contingere omnino oportuiſſe, adeo undique probatum a me fuit, ut majori demonſtratione id non egeat.

Iſtud tamen, ut nihil ſit, quod diſſimulare ipſe videar, probari inſuper a me poſſe putaveram ſingulari Anniae Fauſtinae tertiae Elagabali uxoris numiſmate a Laodicenis percuſſo, quod ex inſigni viri nobiliſſimi Joannis Dominici Theupoli Senatoris Veneti muſeo primum a viro Illuſtriſſimo editum, doctiſſimoque commentario illuſtratum, nos iterum dedimus, vera nempe ac legitima ejus icone, hisque ſuis germanis characteribus productis ... ΩΝΑΟΛ .... Ι ... ΩΝ, quos temporis edacitas reliquos nobis fecerat, eosque ſimul interpretati ita fuimus: ΑΓΩΝ. Ā. ΟΛΥΜ. ΑΝΤΩΝΕΙΝ, hoc

eſt, *certamen primum Olympicum Antoninianum*. Quod non alia occaſione, quam ob nuptias ipſius Anniae celebratum & commiſſum a Laodicenis fuiſſe iterum arbitror.

Quoniam vero plane compertum non habemus quo tempore Elagabalus in uxorem eam duxerit, & quo illam dimiſerit, ſciamusque poſt eamdem, uxoribus aliis ductis, ad Aquiliam demum rediiſſe, quae anni ejus quinti dies occupare utique potuit; propterea ad ſolſtitium aeſtivum anni potius ſuperioris 221. quam ad aliud inſequentis anni 222. certamina illa referimus. Ac proinde rem nullam habere cum anno v. Elagabali, qui tot aliis argumentis luculentiſſime demonſtratus eſt, nos itidem ultro fatemur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XI.

Programma Cycli Paſchalis S. Hippolyti cur mihi objectum minime infeſtum. Si annus primus Alexandri a prima Imperii die capiatur, idem Programma cum publicis monumentis aperte pugnat. Hujus diſſidii cauſſam ab Hippolyto amovendam, & in ejus Cycli exſcriptorem potius reiiciendam eſſe putavimus. Noſtra de hoc conjectandi ratio exponitur. Idem annus pro anno Juliano ab Hippolyto acceptus. Veterum aliorum ſcriptorum exemplo firmatur. Diſſidium hinc nullum, ac nulla annorum Imperii & Paſchatum confuſio.

Pag. 80. *Propterea omni ope ille* (Vignolius) *enititur, ut tantae molis objectum ſibi oppido infeſtum depellat.*

EX programmate Cycli Paſchalis S. Hippolyti, & ipſius etiam Cycli initio habemus, anno Chriſti 222. qui per annum primum Alexandri in eo indicatur, Lunam XIV. Idibus Aprilis die Sabbati contigiſſe. Ea die Alexander nondum Elagabalo in Imperio ſucceſſerat: qui, ut jam vidimus, & certis graviſſimisque teſtimo-

moniis firmavimus, nonniſi poſt Idus Majas interfectus a militibus fuit, quinto Imperii ſui anno inchoato. Quare ſi annus ille primus Alexandri a prima initi Imperii die numeretur, non recte cum Idibus Aprilis ejusdem anni, qua die nondum ille Imperio potiebatur, connecti poterit. Ex quo inde ſequitur, ut vel S. Hippolytus Alexandri inargurationis diem ignoraverit, vel nos publica Romani Senatus fide decipiamur: quod certe neutrum auſim ego affirmare. Nam publicis monumentis fides derogari a nemine poteſt, & Hippolyto, qui eodem anno Chronicon ſuum clauſit, & ſedecennalem Cyclum compoſuit, dies, qua imperare Alexander coepit optime innotuerit, adeout veriſimile eſſe nequeat, Alexandrum ea die Imperatorem ab Hippolyto intellectum fuiſſe, qua nondum Imperii ſumma ad eum devenerat.

Igitur quum Hippolyti programma a publicis monumentis in hoc apertiſſime diſſideret, non ut objectum iſtud a me depellerem, cui non levibus ac fictitiis argu-

gumentis munito infeſtum tantaeque molis eſſe haud potuit, ſed ut omnem hujus diſſidii cauſſam a S. Hippolyto amoverem, ad ejusmodi conjecturas devenire opus fuit, ejusque Cycli exſcriptorem rei potius auctorem credere, qui fortaſſe, ut evenire homini minime accuratiſſimo facile poterat, anno Conſulari neglecto, annum Imperii ex Hippolyti Chronico acceperit, & Cyclo, qui ſub ea duplici temporis nota continebatur, loco harum duarum fortaſſe vocum *hoc anno* ſubſtituerit. quae tum mens mea fuerit, ut evidentius aperiam, Chronici ejusdem extrema hic ſubiiciam, uti ſcilicet, ad annos Imperatorum & Conſulum, ac Terminos Paſchales in eo indicatos quod ſpectat, animo concepta a me fuerant, vocibus iisdem, *Hoc anno*, etſi apud Chronologos paſſim occurrunt, uti tamen non ita neceſſariis, omiſſis.

S. Hip-

Digitized by Google

S. Hippolyti Chronici extremi hypotheſis.

ANNO I. IMPERII ANT. IMP. Macrino Aug. & Advento
Fuit XIV. *Paſchae* V. *Cal. April. Sabbato &c.*
II. Antonino Aug. II. & Sacerdote
Fuit XIV. *Paſchae* XVI. *Cal. Majas Feria* VI. *&c.*
III. Antonino Aug. III. & Comazonte
Fuit XIV. *Paſchae Non. April. Feria* IV. *&c.*
IV. Grato & Seleuco
Fuit XIV. *Paſchae* IX. *Cal. April. Feria* VI. *&c.*
ANNO I. IMPERII ALEXAN. IMP. Antonino Aug. IV. & Alexandro Caeſ.
Cycli Paſchalis Programma. FUIT XIV. PASCHAE IDIBVS APRIL. SABBATO, QUUM MENSIS EMBOLIMAEUS FUISSET. ERIT ANNIS SEQUENTIBUS, SICUT IN TABULA SUBJECTUM EST. EVENIT VERO IN PRAETERITIS, SICUT INDICATUM FUIT.

Haec quidem noſtra conjectandi ratio fuit, poſtquam annus idem primus Alexandri a natali ipſius Imperii die capiendus eſſe mihi etiam cum viro Illuſtriſſimo viſus quodammodo fuerat. Senſeram enim antea, annum illum, ſi non ex Hippolyti Chronico acceptus, ſed ab ipſomet Hippolyto Cyclo appoſitus fuerit, a capite omnino alio, non a prima Imperii Alexandri die numeratum ab eo fuiſſe.

Sen-

Digitized by Google

Sententiam hanc, quae mihi primum in mentem venerat, vel antea per literas cum viro Illuſtriſſimo communicaveram. Ei vero contradicenti, tantum, ut par erat, deferre volui, ut ſatius viſum fuerit, eam dubitanter oſtendere, & ad conjecturas illas confugere, quam viri mea, omniumque opinione doctiſſimi auctoritati non acquieſcere. Propterea, ut pag. 95. eamdem Imperii notam, quae in Cyclo legitur, ex ipſius Hippolyti Chronico ſumi potuiſſe dixi: *ſi modo annus primus Alexandri pro anno Juliano* 222. *in quem vere primus annus ille incidit, acceptus ab ipſomet Hippolyto non fuerit*. Ita vero acceptum ab eo fuiſſe, nunc adeo ſum perſuaſus, ut de hoc amplius haeſitare, atque alio vertere ſe animus nequeat.

Quae tum mihi in hanc rem vir Illuſtriſſimus objecerat, haec ipſa fere ſunt: magnam nempe Paſchatum & annorum Imperii confuſionem oriri potuiſſe, ſi S. Hippolytus annum primum Alexandri a Calendis Januariis cum anno Juliano

Digitized by Google

enumeraſſet. Etenim ſi anno Chriſti inſequenti 223. in quem IV. Non. April. Lunam XIV. adſignat, annum itidem Imperii Alexandri appoſuiſſet, non primum quidem, quem anno ſuperiori jam Cyclo inſcripſerat, ſed ſecundum in eo adnotaſſet: anno vero 224. tertium, & ſic deinceps. Quod quidem, ut inquit, tolerari neutiquam poſſet.

Cur vero tolerari hoc non poſſit, prorſus ignoro. Tolerabatur enim in Aegiptiis, qui, ut trita res eſt, & Illuſtriſs. virum minime fugit, *uti annum ſuum civilem* (verba ipſius ſunt pag. 30.) *a neomenia Thoth fixi, ſeu a die* XXIX. *Auguſti ordiebantur; ita annos Principum ab ipſomet Thoth numerabant:* Non ita vero, ut annum primum a die Imperii ipſorum natali, reliquos a prima die Thoth auſpicarentur, ut viri ejusdem Illuſtriſſimi mirus recta ſententia eſt. In Graecis item tolerabatur, qui ab Autumno: de quo utraque Card. Noriſii de Anno & Epochis Syro Maced. aliorumque Chronographorum pagina abunde nos docet. In Hebrae-

braeis deinde,qui pariter Regum ſuorum annos a prima die Niſan per anticipationem exordiebantur, quemadmodum in Tractatu Repetitionum de Initio anni, qui Misnajoth inſcribitur, cap. 1. diſerte traditur: *Quatuor ſunt*, ibi legitur, *annorum initia. Prima dies Niſan initium anni Regibus eſt*.

Quod ſi etiam in ſcriptoribus tolerari non potuiſſet, non Ptolemaeus, ut ceteros praeteream, tam Regum Graecorum poſt mortem Alexandri, quam Romanorum Imperatorum annos, ut in Canon. ejus obſervari poterit, ab antecedente Thoth enumeraſſet: neque Herodianus, ut vidimus, a Calendis Januaris eorumdem Imperii initia repetiiſſet.

Quem annos Imperatorum variae putandi morem Euſebio etiam, Hieronymo, Caſſiodoro aliisque familiarem fuiſſe Dionyſius Petavius obſervans lib. XI. cap. 15. de Doctr. Temp. *Sed minime*, ait, *reprehendendi ſunt veteres illi, qui Imperatorum annos non ab eo die putare ſolent, quo primum injerunt, ſed a civili & populari an-*

 ni

Digitized by Google

ni primordio, quod illorum initium anteceſſit. Nonnumquam vero προληπτικῶς *antevertunt, ſive a Paſchali menſe, & Eccleſiaſtico anni exordio numerent, ſive a Januario, praeſertim quum Romanas res praeſcribunt.*

Igitur quum Hippolytus etiam hanc eamdem regulam in annis Imperii Alexandri putandis adhibere potuerit, uti eam adhibuiſſe pro certo habemus, non recte exinde inferimus, intra duos annos Paſchales annos duos primos Imperii Alexandri, ut viro Illuſtriſſimo videbatur, ab Hippolyto ſignandos fuiſſe, ſi ut anno ſuperiori 222. ita etiam anno inſequenti 223. annum Imperii Alexandri indicaturus in ſuo Cyclo fuiſſet. Quoties enim primum a Calendis Januariis, ſive mavis ab Autumno, vel a Neomenia Thoth auſpicatus fuiſſet, ita deinceps reliquos nonniſi ab eodem capite enumeraſſet, antequam ſcilicet Paſchalia tempora adveniſſent: ac proinde nulla prorſus ejusmodi annorum Imperii & Paſchatum confuſio oriri ex eo poſſet. Ut res oculis pateat, annos Imperii Alexandri a

Cal.

Digitized by Google

Cal. Januariis ceptos, quibus Termini Paſchales a S. Hippolyto dati ſine ulla ipſorum perturbatione omnino reſpondent, ſubiiciam.

Anni Chr.	HIPPOLYTI TERMINI PASCHALES.	Anni Imp. Alexandri
222	Idib. April. Sabbato	1
223	IV. Non. April. Feria IV.	2
224	XII. & XI. Cal. April. Dominica	3
225	V. Id. April. Sabbato	4
226	IV. Cal. April. Feria IV.	5
227	XV. Cal. April. Dominica	6
228	Non. April. Sabbato	7
229	VIII. Cal. April. Feria IV.	8
230	Idib. April. Feria III.	9
231	IV. Non. April. Sabbato	10
232	XII. & XI. Cal. April. Feria IV.	11
233	V. Id. April. Feria III.	12
234	IV. Cal. April. Sabbato	13
235	XV. Cal. April. Feria IV.	14

Tam Hippolytus igitur, quam Herodianus annum Chriſti vulgarem 222. Antonino Aug. IV. & Alexandro Caeſ. Conſulibus, non ipſi Antonino Elagabalo tribuunt, ſed *primam Alexandri* illius ſucceſſoris dicunt; quia hic, ut ſupra innuimus, potiorem ejus anni partem Imperio tenuit. Quam quidem regulam, quod, ut magis magisque noſtrae inſpectio-

ctionis ratio pateat, ac firmetur, adiiciam, alii etiam veteres Chronologi in annis Romanorum Pontificum conſignandis quandoque adhibuere, uti etiam adnotavit Godefridus Henſchenius vir doctiſſimus in prologo ſui Apparatus ad Chronologiam Pontificiam, qui habetur in Propylaeo ad Acta Sanctorum menſis Maii pag. 2. num. 8. *In hac priori parte*, inquit, *nulli Conſules repetuntur, quamvis ſub iisdem, ſub quibus ſedere inceperunt quidam, fuerint vita functi, aut martyrio coronati eorum deceſſores:* Sed EJUS PONTIFICATUI, QUI POTIOREM ANNI PARTEM VEL INCIPIENS, VEL FINIENS TENUIT, RELINQUUNTUR. *Exempli cauſſa*: S. Alexander *dicitur fuiſſe* temporibus Trajani, a Conſulatu Palmae & Tullii uſque Aeliano & Vetere. *Creatus is eſt & ordinatus anno* CVIII. cum Coſs. Gallo & Bradua*: ſed quia hunc annum deceſſor Evariſtus tenuit uſque ad* XXVI. *Octobris, huic illi reliquuntur: & in deſignando initio* Alexandri *primi nominantur* Palma & Tullius. *deinde* Aelianus & Vetus *fuerunt Conſules vnno* CXVI. *quos ultimos toto anno habuit* Alexan-

xander, *& ſuperfuit uſque ad diem* III. *Maji anni* CXVII. *quo Conſules erant* Niger & Apronianus*: qui tamen non attribuuntur S. Alexandro, ſed ſoli S. Sixto ejus ſucceſſori*. Haec Henſchenius.

Ex his autem ſequitur, ut dum Hippolytus in annis Imperii Alexandri numerandis, alia prorſus regula uſus eſt, ac Senatus Romanus uti ſolitus ſemper fuit, teſtimonium ipſius non majorem probationem & auctoritatem facere poſſit ad epocham Imperii Alexandri ſtabiliendam, quam nummi Aegypti, anno v. Imperii Elagabali inſcripti, faciunt ad v. ejusdem Imperatoris annum demonſtrandum. Ac propterea, ſi tot argumentis, graviſſimorumque virorum teſtimoniis & exemplis refragantibus, ab ejus natali die Imperii Alexandri primordia more Romano Hippolytum ſumpſiſſe contendimus adhuc, ut nimirum aliquam rei, quam falſam omnino detegimus, fides & auctoritas adjungatur, honor certe nullus ipſi Hippolyto accreſcet, & veritas in aperto poſita negligetur.

CAP.

C A P. XII.

Rixa inter nummum Elagabali a me editum, & alium a Pagio ex Vaillantio recitatum nulla. Hunc Pagius jure ſuo interpretatur: ille omnis interpretationis eſt expers. Una atque altera Pagii opinio de initio Trib. Pot. Elagabali manifeſte inter ſe pugnant. Utraque falſa.

Pag. 81. *Quod ſi res integra fortaſſis manere poſſit Hippolyto, & verum adhuc ſit, Elagabalum deceſſiſſe ante diem* XIII. *Aprilis, neceſſe eſt oriri rixas inter hoc Vignolii numiſma, & nummum alterum a nobis capite ſuperiori recitatum & explicatum.*

ELagabali nummus a me editus, qui ejus Liberalitatem exhibet cum epigraphe: P. M. TR. P. II. COS. III. & alius a Pagio primum, dein vero ab Illuſtriſſimo viro ex Vaillantio recitatus & explicatus, in quo idem Imperator in quadrigis viſitur, legiturque: P. M. TR. P. V. COS. IV. inter ſe nequaquam rixantur. Si vero aliqua inter eos rixa oriri poſſe

Digitized by Google

poſſe videtur, imparibus certe armis pugnabunt. Noſter enim ſuis, ille vero nonniſi ab Illuſtriſſimo viro, vel a Pagio ſuppeditatis digladiabitur. Ut numeri illi TR. P. II. COS. III. quibus noſter inſignitur, Elagabali Tribuniciam Poteſtatem ſecundam, & Conſulatum tertium deſignent, interprete non egent; nam quomodo ii numeri legi atque intelligi debeant, ipſi jam docent. Quadrigae vero, quas exhibet, ut ad proceſſum Conſularem ab Elagabalo habitum ipſis Cal. Januariis anni epochae vulgaris 222. quo Conſulatum IV. ſuſcepit, ſive ad alium referri debeant, qui die 16. Martii ex Illuſtriſſimi viri ſententia ducendus ab eo fuerat, quoties diebus adhuc aliquot ſuperſtes eſſe potuiſſet, nummus quidem ille non docet, niſi quadrigas eaſdem ad alterutrum illorum proceſſuum ſpectare vel Pagius, vel vir Illuſtriſſimus interpres cum eo acceſſerit. Quapropter quam vera poſterior Pagii opinio fuerit, nummus idem noſter jam numeris ipſe ſuis ſatis oſtendit: quam vero certa ſit prior,

R nos

nos cap. VI. ſatis ſuperque jam patefecimus.

Igitur quum una atque eadem Elagabali Tribunicia Poteſtas plura quidem initia in iisdem nummis a Senatu Romano percuſſis habere non poſſit: unum ſcilicet a Calendis Januariis, ut poſterior Pagii ſententia fuit, alterum a XVII. Cal. Aprilis, ut antea ſenſerat; qua propterea ratione ductus modo unius, modo alterius ex his Pagii divinationibus, quae tam manifeſte inter ſe pugnant, vir Illuſtriſſimus in præclaro opere adſertor ac propugnator (pace ipſius dixerim) eſſe poſſit haud ſane adſequor. Nam quoties non utramque, alterutram certe illarum falſam eſſe oportebit. Ideoque id probe intelligo, rixam inter unam atque alteram Pagii opinionem magnam quidem excitari, nullam vero inter nummos eoſdem umquam fuiſſe, atque eſſe poſſe.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XIII.

In Cyclo etiam S. Hippolyti annum Conſularem adnotatum fuiſſe, nuſquam dixi. Euſebius & S. Hieronymus annum primum Alexandri in Chronico Hippolyti tantum, non etiam in Cyclo agnoſcunt. Annus Imperii in Chronico deſcriptus annum Conſularem non excludit.

Pag. 83. *Quod ſi, uti cenſet* (Vignolius) *Chronicon annexum erat Canoni, ſeu Cyclo, & in utroque annus Conſularis adnotatus, male cum poſteritate egiſſent iidem ſcriptores* (Hieronymus & Euſebius) *qui cum ſcirent, ſi vera ea eſt ſententia, Alexandrum poſt diem illum* XIII. *regno inauguratum, nobis illum obtuliſſent jam imperantem*.

NUſquam ſane dixi, annum Conſularem, quem in ſuo Chronico una cum anno Imperii S. Hippolytum adnotaſſe pro certo habeo, in Cyclo pariter appoſitum ab eo fuiſſe. Immo vero, ſi quid ſecus atque animo conceperam, mihi calamo non

Digitized by Google

exciderit, nullam potius anni notam, neque Conſulatus, neque forſan Imperii in eodem Cyclo expreſſam ab Hippolyto fuiſſe putavi, utpote quae in Chronico, cui Cyclum adnexum, ac proxime ſubjectum eſſe cenſui, praenotata jam fuerat.

Quapropter dum ita coniicio, nihil, quod Euſebii & S.Hieronymi fidei & auctoritati omnino conſentaneum non ſit, in medium produco: quorum quidem auctoritate tantum conjectura ejusmodi noſtra fulciebatur. Ii ſiquidem in Chronico ſolum, non autem in Cyclo, annum primum Alexandri ſcriptum fuiſſe innuunt. *Opus etiam*, inquit Euſebius, *de Paſchate conſcripſit, in quo & temporum ſeriem explanat, & Canonem quemdam ſedecim annorum de Paſchate ponit; &* TEMPORA SOLUM DESCRIBIT AD PRIMUM ANNUM IMPERATORIS ALEXANDRI: quae in Cathedra *Chronicon ad Graecos* appellantur. Atque haec fere eadem S. Hieronymus: *Rationem Paſchae*, TEMPORUMQUE CANONES SCRIPSIT USQUE AD I. ANNUM ALEXANDRI IMPERATORIS. Quibus Georgius Syncellus adſtipulatur in codici-

dicibus Vaticanis 154. 155. 979. & in alio Palatino 395. in quibus ita haec exſtant: καὶ τὸν ις̄ ἑταιρικὸν (ſive ἑτηρικὸν) κανόνα τοῦ πάσχα ἐξέθετο· περιγράψας εἰς τὸ πρῶτον ἔτος Ἀλεξάνδρου τοῦ Μαμαίας τούτου (legimus τῆς Μαμαίας τοῦ υἱοῦ) Ubi poſt ἐξέθετο interpunctio habetur, quae in editis deſideratur, ut ſenſus ſit: *Et ſedecennalem Paſchae canonem expoſuit: quum ſcripſiſſet uſque ad annum primum Alexandri Mammaeae filii*, Chronicon ſcilicet uſque ad eumdem annum perductum, ſive opus de Paſchate, in quo poſt ipſum Chronicon ſedecennalem Paſchae Cyclum expoſuit.

Quoties igitur in Chronico Hippolyti, quod Euſebius *Tempora*, S. Hieronymus *Temporum Canones* appellat, anni illius primi Imperii Alexandri Conſulatum exhibitum ab Hippolyto fuiſſe opinione ducor, annum eumdem Auguſteum ab eo minime excludo: ſed hunc ſimul cum anno Conſulari idem Chronicon praeſetuliſſe exiſtimo, quia Euſebius & S. Hieronymus, ut patet, illum in Chronico agnoverunt.

Ne-

Neque propterea, quod ſcriptores iſti Chronicon illud uſque ad annum primum Alexandri Hippolytum perduxiſſe affirment, inferri exinde debet, Conſulares etiam annos ibi conſignare non potuiſſe, perinde ac ſi Conſulum & Imperatorum anni ſtare ſimul nequeant. Namque Chronicon Paſchale, ſive Alexandrinum a Ducangio editum titulum hunc praefert: *Chronicon Paſchale a mundo condito ad Heraclii Imperatoris annum* XX. nulla prorſus in hoc titulo Conſulum mentione facta. Si opere eodem deperdito, titulus hic ejus tantum ad nos perveniſſet, recte ne aliquis conjectaſſet, quia in viceſimum Imperii Heraclii annum deſiiſſe illud dicitur, annos proinde Conſulum in eo adnotatos non fuiſſe? illudque uſque ad annum *poſt Conſulatum Heraclii Auguſti* XVII. (haec ſiquidem in illius fine notantur) haud fuiſſe perductum?

CAP.

Digitized by Google

C A P. XIV.

Hippolyti aetate id moris fuiſſe, ut qui temporum hiſtoriam texerent, eam non modo Imperatorum, ſed etiam Conſulum annis inſcriberent. Id potiſſimum Julii Africani exemplo demonſtratur. Pearſonius explicatus & notatus. Veteres ſcriptores Chriſtiani cujusvis aevi annis Romanorum Imperatorum & Conſulum promiſcue uſi. Qui librum *Generationis*, ſeu de *Diviſionibus Gentium* inſcriptum, S. Hippolyto tribuit, Euſebii & S. Hieronymi teſtimonium elevat. In eodem libro locus Conſulibus nullus eſſe potuit. Anni per Conſules notati quantum hiſtoriae Eccleſiaſticae lucis afferant.

Pag. ead. *Is enim mos ea aetate invaluerat, ut qui temporum hiſtoriam texerent, non eam annis Conſulum, ſed Imperatorum inſcriberent.*

EGo quidem Chronicon nullum per annos expanſos, ut in eo Conſules locum obtinere potuerint, ea aetate conditum adhuc inſpexi, quo certo ſciverim, eum aevo Hippolyti morem invaluiſſe, *ut qui temporum hiſtoriam texerent, non eam annis Conſu-*

ſu-

Digitized by Google

ſulum, ſed Imperatorum inſcriberent. Unum tamen inſtar omnium teſtem graviſſimum habeo, qui falſum omnino iſtud eſſe diſerte nos moneat. Is Julius Africanus eſt, qui eodem tempore *Hiſtoriam temporum*, quo S. Hippolytus *Temporum Canones*, ſcribebat, ut ex Georgio Syncello proditum eſt pag. 107. *Paſtorale*, inquit, *Jacob tentorium Edeſſae uſque ad Antonini Romanorum Imperatoris tempora ſervatum, fulmine dejectum eſt, ut teſtis eſt Africanus, qui ad Imperium uſque Antonini deduxit hiſtoriam*. In ea vero Conſularibus etiam annis uſum illum fuiſſe, ex eodem Syncello abunde conſtat pag. 212. ut infra videbimus. Quare Scalig. in Euſeb. Chronic. tom. 1. pag. 429. *Africanus enim ſcribit, ſe terminaſſe opus ſuum* Grato & Seleuco consulibus, *anno tertio Antonini Aviti, qui & Elagabalus dictus fuit*. Aegidius Bucherius in Canon. Paſchal. Victorii cap. 13. pag. 234. *Julius Africanus*, inquit, *illuſtris Chronographus Chronicon ſe ſuum perduxiſſe ſcribit ad initium Olympiadis* 250. *quo* Gratum & Seleucum *Conſules fuiſſe teſta-*

Digitized by Google

ſtatur. Pagius item in Crit. Baron. ad annum Chriſti 220. num. 11. *Imo ipſemet Africanus docet, ſe anno legationis ſuae abſolviſſe opus ſuum* Grato *&* Seleuco coss. & Card. Noriſius in Epiſt. Conſul. pag. 132. *Alterum*, inquit, *cognomen prioris Conſulis prodidit Julius Africanus, qui ſuum Chronicon clauſit*, consulibus, *ut ipſe ait*, Grato Sabiniano *&* Seleuco.

Pearſonius vero, cujus potiſſimum auctoritate, ut arbitror, hujusmodi viri Illuſtriſſimi conjectura nititur, mihi aliud omnino ſenſiſſe videtur. Ait ſiquidem in praefat. ad Annal. Cyprianicos cap. 5. *Quamvis enim vetuſtiſſimi ſcriptores Chriſtiani annos, quoties opus erat, per Imperatores numerare ſolerent, ut Theophilus, Clemens Alexandrinus, & Tertullianus; poſteriores tamen numerum annorum e faſtis Conſularibus deducebant*. De ſcriptoribus itaque non iis loquitur Pearſonius, qui temporum hiſtoriam texebant. Nam ſi quandoque iidem ſcriptores, quos in exemplum adducit, aliquam operibus ſuis temporum ſupputationem ab Adam

ad ſuam uſque aetatem perductam inſeruerunt, non is tamen praecipuus illorum labor fuit: atque adeo temporum illorum calculum non per annos expanſos, ſed per aetates annosque collectos ſubducunt, ubi locus quidem nullus Conſulibus eſſe poterat.

Ceterum neque ita verum eſt, quod idem Pearſonius adſerit, ut vetuſtiſſimi ſcriptores Chriſtiani, ac praeſertim ii, quos commemorat, annos interdum per Conſules etiam non indicaverint. Clemens enim Alexandrinus lib. I. Stromat. *Hinc*, ait, *ad victoriam Auguſti, quando Antonius ſibi ipſi mortem conſcivit Alexandriae, anni ducenti nonaginta quatuor, quum tunc eſſet Auguſtus* CONSUL IV. Et paullo poſt: *Ab hoc autem tempore uſque ad* CONSULES ROMAE CAJUM DOMITIANUM *&* CASIANUM, ſeu ut Sylburgius emendat, *Caeſ. Domitianum & Sabinum*, qui Conſules fuerunt anno U. C. DCCCXXXIV. Chriſti 82. Tertullianus itidem annum, quo Chriſtus Dominus paſſus eſt, deſignare volens lib. adverſus Judaeos non per Imperatorem

tan-

tantum, ſed etiam per illius anni Conſules eumdem declarat: *Quae paſſio*, ait, *hujus exterminii intra tempora ſeptuaginta hebdomadarum perfecta eſt ſub Tiberio Caeſare* COSS. AURELIO GEMINO *&* RUFIO (Fufio) GEMINO. Quinimo, ut patet, certum Imperii annum nonniſi per Conſules indicat.

Quam praeterea verum etiam ſit, poſterioris aevi ſcriptores Chriſtianos annos per Conſules tantum, non etiam per Imperatorum annos deſignaſſe, ut Pearſonius cenſuit, longum eſſet eos omnes recenſere, qui contrarium teſtantur, quum vel unus S. Hieronymi Catalogus Scriptor. Eccleſiaſt. ut tot alios praeteream, contrarium evincit.

Antiquiores tamen per Imperatores, non per Conſules annos putaſſe vel ipſius S. Hippolyti Chronico vir Illuſtriſſimus probari a ſe poſſe exiſtimat. Inquit enim pag. 85. *Sed quid ſcripſerit Hippolytus, nemo melius, quam Hippolytus ipſe teſtari poteſt.* Ego vero numquam profecto libri illius, qui *Generationis*, ſeu *de Diviſionibus*

Digitized by Google

gentium inſcribitur, & qui in annum Imperii Alexandri XIII. quo illius auctor ſcribebat, deſinit, S. Hippolyti Chronicon eſſe putaverim. Etenim non ita facile inducor, ut credam, non Euſebium tantum, ſed Hieronymum etiam virum ſanctiſſimum, quorum certe uterque Hippolyti Chronicon prae manibus habuit, ita aperte imponere poſteritati omni voluiſſe, ut Chronicon, quod ipſe, ut eum vocat, Hippolytus anno XIII. & ultimo Alexandri ſe ſcribere profitetur, ii uſque ad primum tantum, non ad XIII. ejusdem Imperatoris annum perduxiſſe tradiderint: *Et tempora*, ait Euſebius, *ſolum deſcribit ad primum annum Imperatoris Alexandri*. S. Hieronymus vero: *Temporumque Canones ſcripſit uſque ad primum annum Alexandri Imperatoris*.

Eſto vero libri iſtius non S. Hippolytus, ſed quispiam certe alius ejus aetatis ſcriptor fuerit, quum ab Adam ad Romanos uſque Imperatores, atque inde ad Imperii Alexandri extrema deſcendat, aetatibus illorum non per annos expanſos indi-

indicatis; qui propterea locus Conſulibus, qui ſingulis annis adnotabantur, ab Hippolyto in eo libro adſignari potuiſſet, neque itidem intelligo.

Ceterum in ſuo Chronico Conſules etiam, tamquam characterem temporum in hiſtoria tam ſacra, quam profana adeo neceſſarium, Hippolytum conſignaſſe, conſtantiſſime ſentiam, donec ſit, qui meliora me doceat. Hac enim per Conſules annos numerandi ratione quum Julius Africanus, ut vidimus, S. Hippolyto aequalis, & qui illos conſequuti ſunt, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Euſebius, Victorius & Proſper Aquitani, Auctor Chronici Paſchalis, aliique uſi fuerint, non eſt cur Hippolyto tantum ea uti non licuiſſe opinemur, aut cur ejus Chronicon hoc temporum indice caruiſſe, qui quantam Eccleſiaſticae hiſtoriae lucem afferat, doctiſſimus Eccleſiaſticorum Annal. ſcriptor Baronius luculenter teſtatur ad ann. Chr. 69. num. 36. *Equidem*, inquit, *tempora adnumerata per Conſules libentioribus ſunt accipienda auribus; cum*

cum ceteris illa frequentior, liberalior, & verior noſcatur eſſe Chronographia, atque in uſum frequentiorem accepta, quae a Faſtis deducta eſt Conſularibus. Certe quidem cum vetera monumenta in antiquis ſcriptoribus interdum invenimus eſſe Conſulibus conſignata, magno afficimur gaudio, perinde ac ſi in tenebris oberranti fax aliqua ex optato perfulgeat. Ita Baronius.

C A P. X V.

S. Hippolyti Chronicon ad annum primum Alexandri perductum ejus operi *de Paſchate* inſertum. *Series temporum* idem ac Chronologia. Paſchalia tempora tantum per *univerſa tempora* intelligi non poſſe.

Pag. 91. *Porro ad Vignolium ut redeam, dubius etiam feror, num operi de Paſchate, quod conſcripſit S. Hippolytus, Chronicon ullum inſertum fuerit in primum Alexandri annum deſinens, ut idem cenſet.*

San-

Digitized by Google

SAncti Hippolyti operi de Paſchate ipſius Chronicon inſertum fuiſſe, Euſebius eſt, qui teſtatur: qui nempe illud viderit atque perlegerit. *Opus etiam*, inquit (quae ſupra etiam recitavimus) *de Paſchate conſcripſit*, IN QUO *& temporum ſeriem explanat*: & paucis interjectis: *& tempora ſolum deſcribit* AD PRIMUM ANNUM IMPERATORIS ALEXANDRI. Quae Rufinus in ſua ejuſdem Euſebii verſione lib. 6. cap. 17. non aliter vertit: *In illis*, ait, *diebus Hippolytus inter cetera ſcripta ſua libellum de Paſcha ſcriptum edidit*, IN QUO *deſcriptionem quamdam temporum facit*.

At per ſeriem temporum, uti Euſebii τῶν χρόνων ἀναγραφὴν, quae latine temporum deſcriptionem Valeſius interpretatur, non Chronicon aliquod, ſeu Chronologiam deſignari & intelligi poſſe vir Illuſtriſſimus autumat. Petavius vero vir etiam communi literatorum omnium ſuffragio doctiſſimus lib. 13. par. 2. de Doctr.

Tem-

Digitized by Google

Tempor. ſuam Chronologiam non alio quidem nomine explicat: *Liber*, inquit, XIII. *qui Chronologiam*, *hoc eſt*, TEMPORUM SERIEM, *& uſum doctrinae fructumque continet*.

Si vero per *ſeriem*, ut habet Hieronymus, ſeu *deſcriptionem temporum*, ut Euſebius, Paſchalia tantum tempora denotari cum Illuſtriſſimo viro dixerimus, fateri etiam oportet, Rufinum non ſatis Euſebii mentem adſequutum fuiſſe, qui verba illa τῶν χρόνων ἀναγραφὴν *univerſa tempora* expoſuit. *Atque univerſa tempora*, inquit, *intra primum Alexandri Imperatoris annum concludit*. Per haec porro verba, *univerſa tempora*, Paſchalia tempora tantum, quae potiſſimum, ut Hippolytus pro illorum temporum ratione ſuum idem *Chronicon ad Graecos* ſcriberet, in cauſſa fuiſſe non dubito, non ita facile quiſpiam intellexerit.

CAP.

Digitized by Google

C A P. XVI.

Nimium Dioni tribuiſſe Pagium, ejusque auctoritatem dignitati numismatum praetuliſſe probatur. Ut Herodianum, ita etiam Dionem in annis Imperii Elagabali corrumpi a librariis potuiſſe. Dionis codices aevo etiam Cedreni, Zonarae & Glycae pluribus in locis corrupti. Exemplis ab ejsdem petitis demonſtratur. Mendum manifeſtum non ideo quod in omnibus alicujus ſcriptoris exemplaribus occurrat, excuſatur. Dio in excerptis Imperatoris Conſtantini Porphyrogennetae annos Imperii Elagabali non numerat. Locus iſte in vetuſtiſſimo Dionis fragmento Vaticano ab initio mendis non caruit. Quaedam ab alia manu in eo emendata.

Pag. 97. *Nec nimium propterea Dioni tribuit Pagius, nosque eum ſecuti: neque illum dignitati numiſmatum praeferimus.*

AUctoritati Dionis nimium tribuiſſe Pagium, illumque dignitati numiſmatum praetuliſſe, ſic a me poterit demonſtrari.

Nummi Elagabali publica Romani Senatus auctoritate percuſſi annum Imperii ſui quintum eumdem

attigiſſe perſpicue nos docent. Quoties enim Romani notam hanc numeralem V. ſcribebant, quinque, vel quintum, non quatuor, vel quartum per eam intelligi poſſe exiſtimabant. Dio vero, cujus ſcripta, ut aliorum pariter ſcriptorum ſemper conditio fuit, librariorum imperitiae ea exſcribentium ſubjecta fuere, non quinque, initos ſcilicet, ut nummi ſignificant, ſed ut in ejus exemplaribus legitur, quatuor tantum, eoſque non integros, Imperii annos in Elagabalo enumerat. Si cum Pagio ego dicerem, Elagabalum ad quintum Imperii annum non perveniſſe, quem ejus nummi praeſeferunt, ſed tres annos tantum, menſes novem, ac dies quatuor imperaſſe, ut Dio tradit, cujus ne fidem ego ac dignitatem praeferrem? Numquid in Herodiani ſcripta irrepere mendum potuit, in Dionis vero non item? potueruntque notarii Herodiani τέταρτον in ἕκτον mutare, non etiam Dionis numeros vel ante Xiphilini ejus excerptoris aevum corrumpere & aliquo modo vitiare?

Ad

Ad haec vero vir Illuſtriſſimus; *ſi cui autem*, inquit pag. ſequenti 98. *in mentem venerit divinare, codices Dionis etiam aevo Cedreni, Zonarae, & Glycae corruptos fuiſſe, vel poſtea & Dionem & Cedrenum & Zonaram & Glycam imo & Xiphilinum ubique locorum depravatos, nullum ultra verbum, aut operam ſumam*. Apud nos certe difficile erit, ut quis inveniatur, qui veteres ſcriptores non modo ubique locorum depravatos male opinetur, ſed pejus etiam de illis ſentiat. Qui vero pluribus in locis malo literarum fato a librariis vitiatos eos eſſe non divinando affirment, non apud nos tantum, ſed ubique gentium plurimi occurrent: in quibus me non poſtremum cenſeam, qui nummorum & veterum lapidum auctoritate adductus numeros illos annorum Imperii Elagabali tum in Dione, tum in Herodiano a librariis adulteratos fuiſſe putavi: virumque etiam Illuſtriſſimum in iis numerabo, qui ejusdem Elagabali annum ſextum in Herodiano depravatum mecum agnoſcit, & cum eo Pagium,

Digitized by Google

qui Dionis *Majum* in *Martium* arbitratu ſuo vertere non dubitavit.

Ceterum Dionis codices, quibus Cedrenus, Zonaras & Glycas uſi fuere, ipſorum etiam aevo corruptos pluribus in locis fuiſſe, vel ex eo quidem conjicere poſſumus, quod annos Auguſtorum ab iis traditos, cum annis, qui hodie in exemplaribus ipſius Dionis apparent, non ita omnes ad unguem conveniunt. Quod, eorumdem annorum cum annis a Dione exhibitis collatione facta, in proxima Tabula oculis ſubjiciam.

Digitized by Google

Cedrenus, Zonaras, & Glycas in annis Imperii Romanorum Imperatorum ab Auguſto uſque ad Antoninum Elagabalum cum Dione collati.

	Ex Dione.	Ex Cedreno.	Ex Zonara.	Ex Glyca.
	Anni. Menſ. Dies.			
Auguſtus a Vict. Act.	A.43.M.11.D.17.	A.56.	A.44. a Vict. Act.	A.56.
Tiberius	A.22.M.7.D.7.	A.23.	A.22.M.7.D.7.	A.23.
Caligula	A.3.M.9.D.28.	A.7.	A.3.M.9.D.8.	A.4.
Claudius	A.13.M.8.D.20.	A.12.M.9.	A.13.M.8.D.20.	A.13.
Nero	A.13.M.8.	A.14.	A.13.M.7.D.28.	A.14.
Galba	—— M.9.D.13.	—— M.9.D.13.	—— M.9.D.13.	—— M.7.
Otho	—— M.3.	—— M.3.D.8.	—— D.90.	—— M.3.
Vitellius	—— M.11.D.20.	A.1.	—— M.11.D.20.	—— M.8.
Veſpaſianus	A.9.M.11.D.24.	A.10.D.8.	A.9.M.11.D.24.	A.9.
Titus	A.2.M.2.D.20.	A.3.	A.2.M.5.D.25.	A.2.
Domitianus	A.15.——D.5.	A.15.M.11.	A.15.——D.5.	A.15.
Nerva	A.1.M.4.D.9.	A.1.M.4.D.9.	A.1.M.4.	A.1.M.4.
Trajanus	A.19.M.6.D.15.	A.19.M.6.D.15.	A.19.M.6.	A.9.M.7.
Hadrianus	A.20.M.11.	A.24.	A.20.M.11.	A.24.
Antoninus Pius	——————	A.24.	A.24.	A.22.
M. Aurelius	A.19. —— D.11.	A.19.	A.19.——D.11.	A.19.
Commodus	A.12.M.9.D.14.	A.12.M.9.	A.12.M.9.D.14.	A.12.
Pertinax	———— D.87.	———— D.87.	————D.87.	—— M.2.
Didius Julianus	———— D.66.	———— D.66.	————D.60.	———— D.66.
Severus	A.17.M.8.D.3.	A.17.M.8.	A.16.M.8.D.3.	A.17.
Antoninus Caracalla	A.6.M.2.D.2.	A.6.M.2.	A.6.M.2.D.aliquot	A.6.M.2.
Macrinus	A.1.M.1.D.27.	A.8.	A.1.M.1.D.27.	A.1.M.2.
Elagabalus	A.3.M.9.D.4.	A.3.M.9.D.4.	A.3.M.9.D.4.	A.3.M.9.D.4.

Digitized by Google

Hinc ex annorum numeris, quibus Cedrenus praeſertim & Glycas non cum Dione tantum, ſed etiam inter ſe pugnant, niſi poſtea Cedrenum, Zonaram, & Glycam depravatos fuiſſe credamus, non corruptos, ſed corruptiſſimos Dionis codices eos conſulviſſe fateamur oportet. Caligula enim, ſcribit Cedrenus, imperavit annos VII. Dio vero, annos tres, menſes novem, dies octo & viginti. Trajanus, ait Glycas, ut minutiora praeteream, imperavit annos IX. menſes VII. Dio, annos XIX. menſes VI. dies XV. Hadrianus, inquiunt ambo, imperavit annos XXIV. Dio, annos XX. menſes XI. Macrinus, ut Glycas tradit, imperavit annos VIII. Dio, annum I. menſem I. dies XXVII.

His monſtris ſcilicet incorrupti Cedreni & Glycae aevo Codices Dionis, quos illi prae manibus habuere, ſcatebant: quae quidem in paucis illius exemplaribus, quae ad nos uſque pervenerunt, minime ſpectantur. Ipſe etiam Zonaras, qui emendatioribus Dionis codicbus, ut videtur,

tur, uſus fuit, ſic, ut recte de eo Voſſius lib. 2 cap. 27. de Hiſtor. Graec. ita ſenſerit: *Paſſim autem Dionem vel ſequitur, vel exſcribit*; non adeo tamen exacte in annis, vel in menſibus, vel in diebus ſingulorum Imperatorum cum exemplaribus Dionis, quae hodie circumferuntur, congruit. Quod in Auguſto, Caligula, Nerone, Tito, Nerva, Trajano, Didio Juliano, Severo, & Antonino Caracalla perſpicue patet ita, ut quemadmodum illic in Dionis codicibus, quos adhibuit, vitium admiſſum a notariis fuit, ita etiam in annorum imperii Elagabali numeris admitti facile potuerit.

Si quis igitur non ſuis ipſe opinionibus indulgens, ſed his quidem atque aliis argumentis ſuffultus; ut ab ipſo auctore vitium manifeſte deprehenſum avertat, dixerit, aevo etiam Cedreni, Zonarae & Glycae Dionis codices corruptos eſſe potuiſſe, is, mea quidem ſententia non temere divinaret. Et ſane quum error undique pateat & certis atque idoneis teſtimoniis ſatis ſuperque demonſtretur, nihil

Digitized by Google

nihil impedit, haud ullum forſan ipſius Dionis exemplar eorum etiam aetate exſtitiſſe, in quo Elagabalus annos tres, menſes novem, ac dies quatuor imperaſſe non ſcriberetur. In hac enim non ego tantum, ſed viri etiam doctiſſimi ſententia fuere, atque is praeſertim, cui plurimum vel ipſe vir Illuſtriſſimus jure defert, Pagius, qui in Crit. Baron. ad annum 67. num. 15. verba haec in actis S. Alexandri Papae obſervans: *Unde nutu Dei eodem anno defunctus eſt Trajanus*, inſititia eſſe ait, licet in omnibus exemplaribus inveniantur.

In excerptis e Dione Conſtantini Aug. Porphyrogennetae a Valeſio editis hic idem Dionis locus fere ad verbum exſcribitur pag. 760. In eo tamen ejusmodi annorum & menſium dierumque Imperii Elagabali enumeratio nulla apparet: Sed ea tantum, quae Dio ibidem de Elagabalo refert, *brevi tempore* Romae manſiſſe dicuntur. ἐς δὲ δὴ τὰ ἄλλα πάντα καὶ αἰσχρότατα, καὶ παρανομώτατα, καὶ μιαιφονώτατα ἐξώκειλεν. ὥστε τὰ μέν τινα τὴν ἀρχὴν ὡς καὶ πάτρια ακμάσαι; τὰ

τὰ δὲ καὶ τολμηθέντα ὀλίγῳ χρόνῳ διαρκέσαι. Quae Valeſius ita vertit: *Cetera vero turpiſſime & injuſtiſſime, ac crudeliſſime geſſit. quorum nonnulla quidem numquam antehac admiſſa Romae, non ſecus tamen atque a majoribus inſtituta viguerunt. alia ſcelerato auſu ab aliis atque aliis tentata,* BREVI TEMPORE *manſere*. Genuina haec Dionis eſſe: quae vero in ejus exemplaribus, atque in iis non ſolum, quae Cedreno, Zonarae, Glycae, & Xiphilino familiaria fuere, ſed in vetuſtiſſimo etiam fragmento Vaticano habentur, inſititia videri, numquam auſim affirmare.

Certe quidem in eodem fragmento locum a ſequiori manu emendatum fuiſſe, perſpicua res eſt. Ita enim haec in eo ab initio legebantur: ΕΚΑCΤΟΙC ΤΟΥ ΤΕCΙ ΤΡΙCΙ ΚΑΙ ΕΝ ΜΗCΙ ΕΝΝΕΑ ΗΜΕΡΑΙC ΤΕΤΡΑCΙΝ. Hodie vero: ΕΚΑCΤΟΙC ΕΤΕCΙ ΤΡΙCΙ ΚΑΙ ΕΝ ΜΗCΙ ΕΝΝΕΑ ΗΜΕΡΑΙC ΤΕΤΡΑCΙΝ. *Singulis annis tribus &* (IN) *menſibus novem, diebus quatuor*: ΤΟΥ nempe calamo expunctum, eique Ε ſuperpoſitum fuit, ut cum proxime ſequentibus ΕΤΕCΙ

V effi-

efficiat: praepoſitione EN integra relicta, qua ſemel Dio in annis C. Caeſaris Caligulae numerandis uſus eſt: ubi tamen eadem praemittitur, non annorum numero poſtponitur: ἐν ἔτεσι τρισὶ, inquit, καὶ μησὶν ἐννέα, ἡμέραις τε ὀκτὼ καὶ εἴκοσι. Vox illa praeterea TETPACIN pro *quatuor* poſita, quae a numerali τέταρτος ſeu τέτρατος *quartus*, non a τέσσαρες *quatuor* derivatur, an Dionis ſit, addubitare quis poſſet: qui quoties in hac ſignificatione eam accipit, voce τέσσαρσι, non τέτρασι utitur, in Nerva praeſertim pag. 771. ubi ait: ἄρξας ἔτει ἑνὶ, καὶ μησὶ TECCAPCI, καὶ ἡμέραις ἐννέα. Particula praeterea, quae dies cum menſibus jungat, deſideratur, etſi Leunclavius illam de ſuo addidit, ſic, ut legatur καὶ μησὶν ἐννέα, καὶ ἡμέραις τέτρασιν, *& menſibus novem, & diebus quatuor*. Quam tamen τὲ fuiſſe, non καὶ, & ob ſyllabam eamdem proximioris vocis τέτρασιν a librariis praeteritam, vel in eam transductam, facile eſt conjectare. In epitome Xiphilini apud Leunclavium conjunctio nulla exſtat, quae in edito a Roberto Stephano non

non omittitur, legiturque, ἡμέραις τὲ τέσσαρσιν, non καὶ τέτρασιν, ut in ſuis forſan Dionis exemplaribus Xiphilinus ipſe emendaverit, quae quidem hoc Vaticano vetuſtiora fuiſſe vix liceat opinari.

Quamvis igitur jam inde ab initio, hoc eſt ſaeculis amplius ſeptem ante Cedrenum, Xiphilinum, Zonaram, & Glycam, locus iſte Dionis ita male acceptus a librariis fuerit, ut de illius integritate haud temere ſuſpicari, dubitareque potuerim, numeros illos partim corruptos, partim tranſpoſitos fuiſſe, me tamen ab ejusmodi conjectura, quae, ut poſtea animadverti, cum Herodiano minus quidem conſentit, libenter removeo: integrumque eruditis de manifeſto ejusmodi Dionis errore rectius judicandi locum relinquo.

Digitized by Google

C A P. XVII.

Faſti Graeci iterum explicantur. Pagii ſententia de anticipato Elagabali Imperio Julii etiam Africani auctoritate omnino exploditur. Hinc utraque illius opinione falſa & commentitia detecta, noſtra, quae certis tantum, ac publicis monumentis nititur, undique firma.

Pag. 100. *Quare mea quidem ſententia, non aliter hi characteres explicari debent, quam eo anno Conſulari alterum ex Conſulibus deceſſiſſe, cum quartum Imperii annum ageret: alterum eodem anno exorſum fuiſſe primum.*

REcte quidem. Neque aliud characteribus iſtis δʹ αʹ probare ipſe volui, qui pag. 66. a me ita explicati fuiſſe videntur:

Ἀντωνῖνος τὸ δʹ καὶ Ἀλέξανδρος δʹ αʹ.

Antoninus IV. & *Alexander* IV. I.

hoc eſt, anno *quarto* Imperii Elagabali, & *primo* Alexandri.

Nam

Digitized by Google

Quare ſi poſt Cal. Januarias anni U. C. DCCCCLXXV. erae vulgaris 222. quo Antoninus Elagabalus Alexandro Caeſare collega Coſ. IV. proceſſit, annum Imperii quartum agens interfectus fuit, quo pacto fieri umquam potuit, ut Cal. Januariis ejusdem anni jam praeteritis, quintus ab eo initus fuerit, ut Pagius putaverat?

Id praeterea Georgius etiam Syncellus ex Julio Africano, mihi ſupra laudato, plane comprobat: *Hujus*, ait, *Phileni tempore Conſulatum Romae gerebant* GRATUS *Severianus* (Sabinianus) *&* SELEUCUS *ex iis, qui circa Bruti aetatem, Regibus exactis, creati ſunt Conſules* 725. *numero uſque ad vulgarem mundi annum* 5723. *ut auctor eſt Africanus: qui Antonini Auguſti fuit annus* TERTIUS. Annus hic erat U.C. DCCCCLXXIV. epochae vulgaris 221. Quare ſi hoc anno, quo Gratus & Seleucus Conſules praenotantur, annus Elagabali tertius decurrebat, anno inſequenti 222. quo Antoninus Aug. IV. & Alexander Conſules in faſtis inſcribuntur, quartus, non quintus ejuſ-

ejusdem Imperatoris annus in curſu fuerit.

Fide igitur nummorum, & his iterum Faſtis, alterius inſuper Graeci ſcriptoris teſtimonio firmatis, commentitii hujus Pagiani ſyſtematis falſitas abunde fit manifeſta. Quapropter quum in dubio poni nequeat amplius, Senatum Romanum non a Calendis Januariis, ſed a die XVI. menſis Maji, qua Elagabalum Imperatorem milites conſalutarunt, ejus Imperii exordia coepiſſe, nummi illius, qui Tribunicia Poteſtate V. inſigniuntur, ante eamdem diem anni U.C. DCCCCLXXV. Chr. 222. percuſſi eſſe non poterunt, ac proinde neque mors ejus, neque Imperii Alexandri initium ante diem XVI. menſis Maji anni U. C. DCCCCLXXI. epochae vulgaris 218. conſignari. Quod ego in priori diſſertatione probandum, in hac vero magis magisque firmandum ſuſcepi.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERUM.
A

Ægyptii annos Romanorum Imperatorum a prima die menſis Thoth, non a die initi Imperii auſpicari ſoliti, *pag.* 122. Ita etiam annum illorum primum, *ibid.*

Alexander Severus. V. *Severus.*

Alexandri Magni Suſas profectio, 7. Haec cum itinere Elagabali ad urbem non conferenda, 8. Summa in expeditionibus celeritas, *ibid.* Opes Suſis repertae, 9. Mortis dies, 104.

Anni Romanorum Imperatorum nonniſi a die illorum inaugurationis enumerari a Senatu Romano ſoliti, 127. A Cal. Januariis cum anno civili a veteribus ſcriptoribus paſſim deſumpti, praeſertim ab Herodiano, 123. Item ab Euſebio, Hieronymo, Caſſiodoro & aliis, *ibid.* Si quis eos tantum exprimit, annos Conſulares non excludit, 134. Chronici Alexandrini exemplo oſtenditur, *ibid.*

Anniae Fauſtinae numiſma a Philippo a Turre Adriae Epiſcopo Commentario illuſtratum, 115. Annum v. Imperii Elagabali minime probat, 116. Ad illius annum IV. pertinet, *ibid.*

Annorum Imperatorum in nummis anticipatio temporum hiſtoriam turbare admodum potuiſſet, 65. Hinc annus ab Imperatoribus nondum initus, in nummis non apponi ſolitus, *ibid.* Statim initus in iis appoſitus, *ibid.*

Annus ab Herodiano ei Imperatori adſcribitur, qui ante Cal. Julias eſt inauguratus, vel poſt eaſdem Calendas deceſſit, 115. Ita etiam a veteribus hiſtoricis Eccleſiaſticis ei Pontifici tribuitur, qui potiorem ejus anni partem tenuit, 126.

Annus Conſularis in Canone Paſchali S. Hippolyti minime praenotatus, 131. Sed in ejus Chronico, *ibid.* Annus Regum & Imperatorum apud Aegyprios a die 29. Auguſti, 122. Apud Graecos ab Autumno, *ibid.* Apud Hebraeos a prima die Niſan, 123.

Anonymus auctor libri Generationis, ſeu de Diviſionibus gentium S. Hippolyto, Dioni &

Digitized by Google

& Herodiano ſynchronus, 38.

Antoninus *Caracalla* Serapidi addictus, 46. Ejus nummi illuſtrantur, 48. Poſt ejus mortem biduo Romanum Imperium Principe caruit. 59. Quo tempore Tribuniciam Poteſtatem accepit, 85. & 86.

Antoninus *Elagabalus* Romam proficiſcens Nicomediae hiemavit, ibique Conſulatum alterum iniit, 3. Non ante menſem Aprilis anni Chr. 219. Nicomedia diſceſſit, 4. Quod iter tenuerit, per Illyricum ne, an per Dyrrhachium, non liquet, *ibid.* Circa menſem Novembrem Romam pervenit, 16. Corneliam Paullam uxorem ducit, 22. Quamdiu eam in matrimonio retinuerit, exquiritur, 25. Cur eam dimiſerit, *ibid.* Non Deos omnes praeter ſuum exſtinguere, ſed hunc prae aliis, atque ipſo etiam Jove coli voluit, 42. Cur? 43. Ejus nummi, in quibus Deus Elagabalus non tantum, ſed alii etiam Dii repraeſentantur, 44. Salutatus Imperator die XVI. *Maji*, non *Martii*, 55. Id fuſius demonſtratur, *ibid.* Ejus pugna cum Macrino quo loco contigit, & qua die, 58. & 59. Conſul cum Alexandro proceſſit, etiam ex ſententia Lampridii, 68. Annorum ejus Imperii diagramma, 71. Nummi cum ejus TR. POT. V. & quadrigis quo tempore cuſi, *ibid.* Cum TR. POT. IIII. COS. IIII nondum inſpecti, *ibid.* Sententiae Pagii id minime ſuffragatur, *ibid.* Exemplis quamplurimis firmatur, 72. Ex Cal. Juliis Conſul ſuffectus, 90. Macrini nomen e faſtis eradit, & in ejus locum ſuum ſubſtituit, 91. Annos ejus Imperii non a Cal. Januariis Senatus Romanus eſt auſpicatus, 92. Non omnes ejus nummi eoſdem TR. POT. & Conſulatuum numeros exhibent, 93. An eodem anni tempore interfectus, quo Alexander, dubitatur, 94. Certiores ejus mortis termini ex nummis, & Herodiano, 114.

B

S. Bernardi de itinere militari teſtimonium, 15. & 16.

Bonarota (*Philippus*) laudatus, 35.

Brunduſio Romam milliaria quot, 17.

C

Calendarii veteris in Natali Septimii Severii mendum. 60.

Certamina Graecorum, & in iis praemia, 33.

Chronicon S. Hippolyti, 131. Conſules in eo ſignati, *ibid.* In annum primum Alexandri deſinens, 140. Operi de *Paſchate* adnexum, 143. Prae ceteris

teris Paſchalia tempora in eo ſignata, 144.
Chronologia ad Hiſtoriam Herodiani, 97.
Chronologi Eccleſiaſtici veteres ei Pontifici annum Julianum adſcribunt, qui majorem illius anni partem in Cathedra ſedit, 126.
Clemens Alexandrinus annos etiam Conſulares quandoque adhibet, 138.
CLEMENS XI. Pont. Max. *in Praef.*
Codices veteres, quod omnes errorem eumdem praeferant, non ideo ab errore excuſantur, 152.
Conſtantini Porphyrogennetae excerpta ex Dione annos Imperii Elagabali non numerant, 153.
Conſulares anni a vetuſtiſſimis Chriſtianis Chronologis adhibiti, 135. & 141. Julii Africani teſtimonio praeſertim evincitur, 136. & 157.
Conſules in Chronico, non in Cyclo S. Hippolyti adnotati, 131.
Cornelia Paulla prima Elagabali uxor, 25. Quo tempore ei nupſerit, 26. Ejus nummus aduentum Elagabali in urbem non indicat, 27. Neque illius ſtatuam equeſtrem, 28. Quid referat, 34.
Cyclus Paſchalis S. Hippolyti anno Chr. 222, Lunam XIV. Idibus Aprilis, Sabbato, Dominicam Paſchalem XI. Cal. Majas contigiſſe docet, 117. Eodem anno confectus, 118. Chronico ſuppoſitus, 119. Conſules in eo non ſignati, ſed in Chronico, 131.

D

Diagramma annorum Imperii Elagabali, 71. Auguſti ceterorumque Imperatorum uſque ad Alexandrum, 72.
Dio Caſſius explicatus, 91. In ejus fragmento Vaticano Macrini & Adventus Conſulatus Elagabalo nequaquam adſcribitur, deque eodem fragmento quaedam, *ibid.* Ejus locus, qui ad annos Imperii Elagabali ſpectat, ab alia manu in eodem fragmento emendatus, 153. Non recte annos eosdem conſignat, 146. Ejus codices aevo etiam Cedreni, Zonarae, & Glycae vitiati, 148. Exemplis oſtenditur, 149.
Dioſpolitarum nummus Hadriani in eorum urbem adventum referens, 28.
Domitiani nummus Aegyptius victores in ludis exhibens, 34.

E

Eccleſiaſtici ſcriptores veteres ei Pontifici annum Julianum tribuunt, qui vel poſt Cal. Jul. occubuit, vel ante eamdem diem alteri ſucceſſit, 126.

Eclipſes ſolares, quae anno Chr. 218. contigerunt, 62.
Elagabalus, V. *Antoninus*.
Elagabalus Deus apud Syros idem, quod Juppiter apud Romanos; hinc Sol & Juppiter Syrius dictus, 43. Ejus templum ab Antonino Elagabalo Romae aedificatum, *ibid.*
Emeſa quot milliariis ab Antiochia diſtat, 56. Elagabali, & Alexandri patria, 105.
Euthychianus Phoeniciae milites, ut Elagabalum Imperatorem faciant, ſubornat, 55.
Eutropius, aliique ejus aevi hiſtorici in Imperii Alexandri ſpatio definiendo notati, 101.

F

FAſti Graeci denuo explicati, 156. Pagii opinionem de anticipato Elagabali Imperio omnino falſam evincunt, *ibid.* Hoc idem Julii Africani auctoritate firmatur, *ibid.*

G

GAlba ad eſſedum Imper. C. Caeſ. Caligulae xx. millia paſſuum pedibus cucurrit, 21.
Genii nudi & corona plerumque ornati, 29.
Globus in nummo Corneliae Paullae orbem terrarum non ſignificat, 32. Quid denotet, 33.
Glycas (*Michael*) emendatus, 114. Annos Trajani, Hadriani, & Macrini non recte putat, 150.
Goltzius (*Hubertus*) notatus, 111.
Graeci ab Autumno annos etiam Romanorum Imperatorum auſpicati, 122. Eorum ludi, & victorum in iis praemia, 33.
Graeci ſcriptores non omnes intra quatuor tantum annos Imperium Elagabali concludunt, 38.

H

HAdrianus xx. millia paſſuum pedibus progredi ſolitus, 6. Ejus nummus a Dioſpolitis percuſſus, 28.
Hebraei ſuorum Regum annos a prima die Niſan enumerabant, 123.
Herodianus explicatus, 22. Annos nonniſi quatuor adſignare Elagabalo potuit, 37. & 100. Annos Imperatorum, quorum hiſtoriam ſcribit, a Cal. Januariis cum anno civili enumerat, 97. Serie Chronologica oſtenditur, & ipſius Herodiani teſtimonio firmatur, 99. In annis Elagabali ſe ipſum emendat, *ibid.* In annis Maximini vitiatus, 101. Annum, quo quis Imperator ante Cal. Julias deceſſit, ſucceſſori tribuit, 115. Hoc idem vetuſtis ſcriptoribus Eccleſiaſticis in annis Romanorum Pon-

Digitized by Google

Pontificum familiare, 126. Non eſt, cur ejus potius, quam Dionis codices antiquitus corruptos fuiſſe opinemur., 146.
S. Hieronymus & Euſebius de Cyclo S. Hippolyti explicantur iterum, 132. & 133.
S. Hippolyti Cathedra marmorea, & Serapidis inſcriptio apud Panvinium utraque vera & legitima, 40. Inter ſe minime pugnant, *ibid.* Chronici extremi, quod ad annos Imperii & Conſulares, ac Terminos Paſchales tantum ſpectat, hypotheſis, 120.
S. Hippolytus annum Chr. 222. quo Alexander Elagabalo in Imperio ſucceſſit, cur Alexandro, non Elagabalo tribuat? 125. In Cyclo annum Conſularem non poſuit, ſed in Chronico, 131. Chronicon uſque ad annum primum Alexandri perduxit, 132. Hoc operi de *Paſchate* adnexum, 143. Hiſtorici Graeci non omnes annos tantum quatuor Imperii Elagabalo tribuunt, 38.

I

IMperatoris Romani figura equeſtris nuda nondum in nummis viſa. 29. Neque ſtatua illius equeſtris, *ibid.*
Inſcriptio Serapidis ex Panvinio, 49. eadem e ſchedis Vaticanis, 50. Ejus fides & integritas undique probata, 51.
Inſcriptionis alterius fragmentum, 47. Idem ſuppletum, 49.
Iter Elagabali ad urbem cum Alexandri Magni expeditionibus non recte confertur, 8.
Iter militare non xx. millia paſſuum. 5. Neque XVIII. 10. ſed millia VIII. 12.
Iter privatorum hominum xx. millia, 7. cum itinere militari non conferendum, *ibid.*
Julius Africanus in ſuo Chronico annis Conſularibus uſus, 136. & 157.
Julius Caeſar explicatus, 12. & 13.

L

LActantius illuſtratus, 10. Lampridii loca quaedam expenſa, 99. 105. 107. & 112.
Leunclavius (*Joannes*) notatus, 92.
Librariorum incuria, 173. & alibi.
Luna decimaquarta anno I. Alexandri epochae Chriſtianae 222. Idibus April. die Sabbato contigit, 117.
Lunae decimaequartae a primo uſque ad extremum Alexandri annum a S. Hippolyto in ſuo Canone Paſchali indicatae, cum annis eiſdem a Cal. Januariis ceptis, recte congruunt, 125.

M

MAcrinus qua die imperare coepit, 59. Ab Elagabalo

Digitized by Google

balo qua die perditus, 60. Quamdiu imperavit, *ibid.* Conſulatus ipſius & Adventus apud Dionem, 91.
Manſiones non ubique eaedem, 10.
Maximini adverſus Licinium profectio, 9.
Menſes, qui ab eadem litera initium ſumunt, non eodem modo a Notariis indicati, 54.
Mercurialis (*Hieronymus*) notatus, 33.
Milites horas tantum diei aliquot ambulant, 14. Cur moderate procedant, 15. Quarto quoque die ab itinere quieſcunt, 16. Si juſto amplius ambulant, & juſto deinde amplius quieſcunt, 20.
Monumenta vetera ſuſpecta declarari non poſſunt, niſi antea idoneis argumentis probetur ſuſpicio, 40.
Muſeum Carpineum, 35. Chartuſianorum urbis, 69. Theupolianum, 115.

N

NAtalis Septimii *Severi*, 59. Severi Alexandri, 112.
Nicomedia per Illyricum quot milliaria ab urbe diſtet, 4. Quot per Dyrrhachium, 17.
Nomina agnationis cognominibus praeponi ſolita, 109.
Noriſius (*Henricus Card.*) laudatus. In Epiſt. Notatus, 88.
Notarii *ταχυγράφοι*, *celeres ſcribae* ab Euſebio appellati, 54.
Numeri, non menſes per notas ſcribi ſoliti, 54.
Nummi Aegyptii Aquiliae Severae. 23. Corneliae Paullae, 26.
Nummi ejusdem Imperatoris a Senatu Romano percuſſi duplicem Imperii epocham habere non poſſunt, 130.
Nummus Elagabali cum Congiario & epigraphe: TRIB. P. II. COS. II. explicatus, 21. cum quadrigis & literis: TR. P. V. COS. IV. cur ad primum quarti ejus Conſulatus proceſſum referri nequeant, 69. Cum Congiario ac titulo: TR.P.II. COS. III. Et alter ex Vaillantio a Pagio explicatus inter ſe nequaquam rixantur, 128.
Nummus a Dioſpolitis in Hadriani adventu ſignatus, 28. Domitiani Aegyptius, 34. Trajani, 36. Alexandri Caeſaris, 111.
Nummus cum anno, quem Imperator non attigit, nondum ullus, 65. Septimii Severi nummi excipiuntur poſt Idus April. percuſſi, jam antea ſequutae ejus mortis nuncio Romae tardius accepto, *ibid.*

O

O'*λίγον χρόνον Paullo poſt* apud Herodianum, 22. Octo, vel novem menſium ſpatio apta-

Digitized by Google

aptari non poteſt, *ibid.* Quod tempus denotet, 25.

P

PAgius (*Antonius*) Apud Dionem & Xiphilinum Majum in Martium vertit ſine cauſſa, 55. & 148. diem natalem Imperii Macrini non recte conſignat. 59. Ejus opinionis de anticipato Elagabali Imperio falſitas iterum exploditur, 69. In initio Imperii Caracallae deceptus, 86. Nimium Dioni tribuit, 145. Demonſtratur, *ibid.* Laudatur, 152.
Pantheum a Severo ante ipſius decennalia reſtitutum, 87. Ejus inſcriptio, uti jacet, nunc primum edita, & ſuppleta, *ibid.*
Panvinins (*Onuphrius*) in faſtis ſuo quandoque ingenio indulgens, 41. Non falſas inſcriptiones nobis obtruſit, ac de hoc perperam notatus, *ibid.*
Plinius illuſtratus, 30.
Poma apud Graecos victoribus in ludis data, 33.
Praenomina, quae literam initialem eamdem habent, non eodem modo a veteribus deſignata, 55.
Ptolemaeus a prima die Thoth Graecorum Regum, & Romanorum Imperatorum annos more Aegyptio enumerat, 123.

S

SAcrificia, & proceſſus Conſulares in nummis, pro die Imperii natali percuſſos eos eſſe, non probant, 66.
Scipio ſine aquila deſuper Conſulatum non denotat, 35.
Septimii Severi dies natalis, 59. Nummi cum TR. P. XIX. poſt ejus mortem ſignati, 65. & 84. In inſcriptione Panthei TR. P. X. non XI. ille dicitur, 87. Ejus decennalia quo tempore celebrata, *ibid.*
Serapis ab Aegyptiis prae aliis Diis cultus, 45. Sol, & Juppiter appellatus, *ibid.* Septimii Severi, & Antonini Caracallae erga illum religio, 46. & 48. Una cum Iſide cultus, *ibid.* Inſcriptionis ejus aedis fragmentum, 47. Idem ſupplementum, 49. Inſcriptio ſtatuae ab Elagabalo ei poſitae, ex Panvinio, *ibid.* Eadem e ſchedis Vaticanis, 50.
Severus Alexander Iſium & Serapium exornat, 48. Quo tempore coepit imperare, 88. Quo tempore interfectus, *ibib.* Ejus mortis tempus non ex Eutropio, Lampridio, & Victore argui poteſt, 95. Sed ex Herodiano, 99. 103. & 114. Quo tempore ad bellum Perſicum proceſſit, 99. Ejus Imperii ſpatium ab iisdem hiſtoricis ſequioris aevi non recte definitum, *ibid.* & 102. Templi Solis ſacerdos cum Ela-

Digitized by Google

Elagabalo, 105. Ejus patria, *ibid.* Cur ab Elagabalo *Alexander* cognominatus? 106. Non ob ejus ſeveritatem *Severus* dictus, 107. Cur ita appellatus? 109. Cur Antonini nomen recuſaverit? 110. Poſt ſui inaugurationem, non vero antea *Severus* vocatus, *ibid.* Qua die natus, 112. Quo aetatis anno interfectus, 113. Annus primus ejus Imperii in Cyclo S. Hippolyti praenotatus, non a die initi Imperii acceptus, 118. Sed a Cal. Januariis cum anno Juliano, 121. Cur annus idem Julianus 122. non Elagabalo, ſed Alexandro a S. Hippolyto tribuitur? 125. Ejus Imperii epocha ex programmate Cycli S. Hippolyti ſtabiliri non poteſt, 127.

Spartianus explicatus, 6.

Statuae apud Graecos & Romanos tam nudae, quam velatae, 30. Trajano & Hadriano a Graecis poſitae, 32.

Statua Solonis apud Salaminios, 31. Veneris veſte ornata, *ibid.*

Suetonius explicatus, 11.

Suſae quot milliariis a Babylone diſtant, 7. Opes ab Alexandro Magno illic repertae, 9.

Syncellus (*Georgius*) codicibus Vaticanis, ubi de operibus S. Hippolyti agit, emendatus, 133. Et ejus teſtimonium de Cyclo a S. Hippolyto poſt Chronicon compoſito, *ibid.*

T

Tempus breve apud Herodianum, 23.

Teridatis regis Armeniae Romam iter ab Euphrate 17. Quot menſibus confectum, 18.

Tertullianus Dominicae Paſſionis tempus per Conſules etiam deſignat, 138.

a Turre (*Philippus Adriae Epiſcopus*) laudatus in Praef. in Epiſt. & in opere paſsim, Diſſertationem Apologeticam ad Nummum Anniae Fauſtinae edidit, in qua adventum Elagabali in urbem menſe Julio ſtatuit, 2. Militari itineri viginti, vel octodecim milliaria in dies ſingulos tribuit, 5. Lactantium de juſto Maximini itinere loquutum autumat. 9. Congiarium Elagabali ſecundum ad nuptias Corneliae Paullae ſpectare, recte Vaillantium monuiſſe exiſtimat, 21. Ὀλίγον χρόνον, *paullo poſt* apud Herodianum ad octo menſium ſpatium extendit. 22. Nummum Aegyptium Corneliae Paullae & quod epigraphe Latinorum numiſmatum ADVENTUS AUG. careat, Elagabali in urbem adventum ſignificare non poſſe credidit, 28. Nudi juvenis equo inſidentes figuram in eodem nummo Elagabali ſtatuam equeſtrem referre ait 29. Idque eo potiſsimum,

Digitized by Google

mum, quod nuda eſt, 30. Globum, quem eadem figura manu gerit, orbem terrarum ſignificare, 32. Item virgulam, quam ſiniſtra tenet, Scipionem Conſularem eſſe arbitratur, 35. Apud Herodianum non in ſextum, ſed *in quartum annum* Elagabali *Imperio productio* legendum: verum de anno quarto non integro Herodiani mentem fuiſſe, 37. Vel Panvinii, vel S. Hippolyti marmor falſum aut mendax eſſe oportere putat, 40. Panvinium falſas ac vitiatas inſcriptiones nobis obtruſiſſe affirmat, 41. Elagabalum Serapidi ſtatuam dicare non potuiſſe opinatur, *ibid.* Xiphilinum per initiales tantum literas menſium nomina ſcripſiſſe, 53. Elagabalum XVII. Cal. Jun. Imperatorem ſalutari non potuiſſe, quia ea omnia, quae hiſtorici ab eadem die ad pugnam uſque cum Macrino acta referunt, tam brevi dierum ſpatio geri nequaquam potuiſſe Pagius cenſuit, 55. Nummos Elagabali cum TR.P.V. paucos dies ante ingreſſum anni V. percuſſos eſſe, 63. Sacrificia & proceſſus Conſulares in nummis diei natalis Imperatorum ſymbola eſſe tradit, 66. Elagabalum ex ſententia Lampridii cum Alexandro non proceſſiſſe, 68. Conſulatus & Imperii tempora Elagabalum anticipaſſe cum Pagio & Valſechio ſentit, 89. In omnibus nummis Antonini Elagabali numerum annorum Trib. Pot. concurrere cum numero Conſulatuum, 93. Vignolii Diſſertationem de anno primo Imperii Alexandri anno ſuperiori editam ſero accipit, 94. Anniae Fauſtinae numiſma primus edidit & illuſtravit, 115. Programma Cycli Paſchalis S. Hippolyti objectum Vignolio infeſtum ſibi videtur, 117. Quae antea per literas Vignolio objecerat, diluuntur, 121. Aegyptios annum primum Imperatorum non ab antecedenti Neomenia Thoth, ſed a die initi Imperii coepiſſe docet, 122. Inter nummum a Vignolio editum, & alterum a Pagio ex Vaillantio recitatum rixas oriri, 128. Quadrigas in nummo Elagabali expreſſas ad proceſsum Conſularem referri, quem ipſe Elagabalus violenta morte praeventus celebrare haud potuit, 129. Pagii opiniones inter ſe pugnantes modo unam, modo alteram ſequitur, 130. Cenſuiſse Vignolium, non in Chronico tantum, ſed etiam in Cyclo Conſules ab Hippolyto adnotatos, 131. Propterea quod Euſebius & S. Hieronymus Hippolyti Chronicon uſque ad annum I. Imperii Alexandri perductum fuiſſe referunt, annos etiam Conſulares in eo deſcriptos eſse non potuiſse cenſet, 134. Hip-

Hippolyti aevo eum morem fuiſse, ut qui temporum hiſtoriam texerent, eam non annis Conſulum, ſed Imperatorum inſcriberent, 135. Pearſonii mentem non ſatis adſequutus fuiſse videtur, 137. Librum *Generationis*, ſeu *de diviſionibus Gentium*, qui in poſtremum Imperii Alexandri annum deſinit, S. Hyppoliti Chronicon exiſtimat, Euſebio, & S. Hieronymo refragantibus, qui in primum, non in ultimum ejusdem Imperatoris annum clauſum iſtud fuiſse teſtantur, 139. Dubius fertur, num operi S. Hippolyti de Paſchate Chronicon ullum inſertum fuerit, quod inſertum ei fuiſse Euſebius & ejus interpres Rufinus diſerte tradunt, 142. Seriem temporum apud Hieronymum non idem ac Chronicon eſse judicat, 143. Per *Univerſa tempora* apud Rufinum nuda tantum Paſchalia tempora intelligit, 144. Pagium, qui nummis aperte repugnantibus, Elagabalum annos quatuor non integros imperaſſe ex ſententia Dionis credidit, ipſi Dioni nimium tribuiſſe, illumque dignitati numiſmatum praetuliſſe inficiatur, 145. Dionis codices aevo Cedreni, Zonarae, & Glycae corruptos eſſe non potuiſſe ſibi perſuadet, 147. Omnia haec vera ne ſint, fuſius diſſeritur, 4. & ſeqq. Faſtos praeterea Graecos cum Vignolio explicat, iisque etiam Pagii opinionem omnino deſtrui non ſatis animadvertit, 156.

V

VAillantius (*Joannes*) notatus, 21. & 26.
Valſechii & Pagii Syſtemata inter ſe parum diverſa, 90. Quid inter utraque interſit, *ibid.*
Vegetius explicatus, 5.
Votivorum ludorum dies, 3.
Urſini (*Fulvii*) Adverſaria mſs. in bibliotheca Vaticana, 13.

X

XIphilinum menſium nomina per literas initiales ſcripſiſſe haud veriſimile, 53.

Z

ZOnaras (*Joannes*) Dionem vel ſequitur, vel exſcribit, 151. In ſpatio vero Imperii Auguſti, Caligulae, Neronis, Titi, Nervae, Trajani, Didii Juliani, Severi, & Antonini Caracallae conſignando cum Dione prorſus non convenit, 149.

Digitized by Google

Quaedam prae ceteris ita corrigenda.

pag.	*lin.*	
xxix.	10.	viri ſummi exemplo ſint; qui
12.	1.	diſerte indicant, ut apparet.
33.	4.	Hos
	11.	Ἑλλάδα
40.	33.	ſi qua
48.	20.	poſt diem IV. April. quum ab eadem ſaltem die
71.	4.	a Cal. Jan. ---- a XVII. Cal. Jun.
103.	23.	*adde*: Immo ſi Lampridio credi potius debeat, qui die VII. Cal. Octobris ejusdem anni Romae illum maximum, ac ſplendidiſſimum de Perſis triumphum agentem (cujus tamen nullum in ejus nummis indicium exſtat) atque inde poſt laetas Romani Senatus acclamationes in Germaniam proficiſcentem repraeſentat, neque ante Octobris initium mors ejus poterit conſignari.
113.	25.	nondum exactum, vel paulo ante abſolutum, ſi vera, quae Lampridius ipſe ex actis Senatus refert, deveniemus,
114.	2.	dele: *Idque Eutropius*, & quae ſequuntur uſque ad lin. 8.
120.	3.	Macrino Aug. II.
122.	12.	Aegyptiis
123.	16.	Januariis
127.	13.	Aegyptii
139.	17.	evincat.
152.	1.	impedit, quominus aliquod ipſius
	3.	forſan exſtiterit
153.	1.	τολμηθέντα
155.	1.	ἡμέραις τε
156.	15. & 19.	δ'

Digitized by Google

Digitized by Google

Quaedam prae ceteris ita corrigenda.

pag.	*lin.*	
xxix.	10.	viri ſummi exemplo ſint ; qui
12.	1.	diſerte indicant, ut apparet .
33.	4.	Hos
	11.	Ἑλλάδα
40.	33.	ſi qua
48.	20.	poſt diem iv. April. quum ab eadem ſaltem die
71.	4.	a Cal. Jan. ---- a xvii. Cal. Jun.
103.	23.	*adde*: Immo ſi Lampridio credi potius debeat, qui die vii. Cal. Octobris ejusdem anni Romae illum maximum, ac ſplendidiſſimum de Perſis triumphum agentem (cujus tamen nullum in ejus nummis indicium exſtat) atque inde poſt laetas Romani Senatus acclamationes in Germaniam proficiſcentem repraeſentat, neque ante Octobris initium mors ejus poterit conſignari .
113.	25.	nondum exactum, vel paulo ante abſolutum, ſi vera, quae Lampridius ipſe ex actis Senatus refert, deveniemus,
114.	2.	dele: *Idque Eutropius*, & quae ſequuntur uſque ad lin.8.
120.	3.	Macrino Aug. ii.
122.	12.	Aegyptiis
123.	16.	Januariis
127.	13.	Aegyptii
139.	17.	evincat .
152.	1.	impedit, quominus aliquod ipſius
	3.	forſan exſtiterit
153.	1.	τολμηθέντα
155.	1.	ἡμέραις τε
156.	15. & 19.	δ'

Digitized by Google

Google